

rogredior, &
s dixi, nunc in
m esse à DEO
ollocatum non
s fit, sed etiam
olum rerum à
ò magis actio-
ominibus trans-
istoria, in quam




FRANCISCI BALDUINI
O R A T I O
D E
LEGATIONE POLONICA
A D
CLARISSIMUM VIRUM
D. JOANNEM SARIUM
ZAMOSCIUM
LEGATUM POLONUM.

FRANCISCI BALDUNI
ORATIO
DE
LEGATIONE POLONICA
AD
CLARISSIMUM VIRUM
D. JOHANNEM SARLIUM
ZAMORSKIUM
LEGATUM POLONUM



go vero
propte
itudin
te inte
Polonica
convenire
quem agn
teus, atque
el ipsi tui de
fecere, ut a
ademia Patavin
te curam tan
de clarissimu
terlem, atque
non mod
romanae, cuj
annuum in A
blem memor
te tempore l
sed cum te n



go verò, doctissime SARI ZAMOSCI, propter quandam studiorum similitudinem, atque conjunctionem, te inter tuos nobilissimæ istius Legationis Polonicæ Principes collegas audebo imprimis convenire, atque honoris causâ nominare, quem agnosco talis, tantæque Legationis decus, atque ornamentum magnum esse. Nam vel ipsi tui de Senatu Romano libri eruditissimi fecêre, ut ante annos decem, cùm tu in Academiâ Patavinâ floureres, ejusque etiam regendæ curam tanto cum splendore susciperes, ut & clarissimum nomen tuum, & doctrinam liberalem, atque perpolitam, & verò veteris illius non modò Senatûs, sed & Reipublicæ Romanæ, cujus leges, & Jurisprudentiam etiamnum in Andicâ Academiâ colimus, admirabilem memoriam admirari cœperimus, ex eoque tempore laudare nunquam desierimus. Sed cùm te nunc saluto, tuos simul in

hæc Legatione collegas XII. viros amplissimos, five à Senatu, five à Nobilitate vel Poloniæ, vel Lithuania missos, verecundè saluto, quibus ego singulis, prout eorum dignitas postulat, & meretur, honoris causâ appellandis, non unam orationem deberi lubenter agnosco.

Neque verò me deterrebit, quod in iis libris eleganter docuisti, veteris moris, legisque Romæ fuisse, ut ad Legatos venientes primum egrederentur Magistratus minores, veluti Quæstores: introductos verò esse in Senatum more Majorum ab eo Magistratu, in quo summa esset vis imperii, atque auctoritas. Ego enim nullas Magistratûs ullius partes mihi fumo: sed interea dum vobis & excipiendis, & introducendis, & cohonestandis operam dant Principes in hoc regno viri, quibus id mandatum est, privatâ modò quâdam gratulatione, tanquam faustâ acclamatione applaudo venientibus; & ut in illis tuis, quos dixi, Commentariis docuisti, quæ Legatis hospitii gratiâ dabantur, Lautia dicta esse: de literis modò cogito, quibus tu nulla Lautia prætuleris, aut munera eorum, qui lautiori vos, regiòque apparatu excipient. Quid enim aliud facere possum officii causâ, qui Academiâ illâ nostrâ excitus, atque excitatus ab amplissimo, atque sapientissimo Regis jam vestri, Principisque nostri Optimi Maximi Cancellario PH. HURALDO CHEVERNIO, & inter Magistros Memoriae, Libellorûmque ejus Regis relatus, non debeo

in

ORAT.

hoc publicâ g
ia hoc velu
ibus ad dicesed neque ob
nis de Senatu

per interpre

et, in Sena

recepisse: ut

us, (*) ubi

quam tres

eos in S

mo (**)

Sen

eris partes,

berit, datas

ominavi, C

nullæ præte

ut cum arrip

literatæ illi

no conjunga

tuncque me

nem alia,

recordatio

Legationu

paratio tam

multò & r

cedat.

salium Legat

et pace, mi

mac agit. S

Vg. Attic. lib.

LONGOLI

In hac publicâ gratulatione mutus esse: tametsi in hoc veluti procinctu imparatus sim ab omnibus ad dicendum præfidiis?

Sed neque oblitus sum, ZAMOSCI, quod in illis tuis de Senatu libris scitè tradidisti, Legatos olim per interpretem, sed qui Senatorii ordinis esset, in Senatu auditos esse, responsùmque accepisse: ut & eo nomine laudasti, quod GELLIUS, (*) ubi agit de Legatione Atheniensium; quam tres Philosophi nobilissimi obiêre, refert, eos in Senatu interpretes usos esse CÆCILIO (***) Senatore. Bene habet: & has interpretis partes, si quando interprete vobis opus fuerit, datas esse illi, quem jam honoris causâ nominavi, Cancellario, quem affector. Sed si nullæ præterea sint meæ partes, patiaris saltem, ut cum arripiam, quod suggestisti exemplum literatæ illius Legationis Atheniensium, cum eo jungam, & ex Romanæ historiæ, literarumque memoriâ, in quâ excellis, breviter repetam alia, quorum non minus tibi grata erit recordatio, exempla quædam nobilissimarum Legationum, præsertim togatarum, ut comparatio tamen ipsa vestram hodie Legationem multò & nobiliorem, & illustriorem esse ostendat.

Fecialium Legationes illas, quæ fuerunt de bello, & pace, missas faciam. Non enim id vestra nunc agit. Sarmaticam etiam illam Ma-

L I 5

jorum

(*) *Noct. Attic. lib. VII. cap. 14. num. 9.*

(**) LONGOLIUS legit. *C. Acilio.*

jorum vestrorum, quos ex alio veluti orbe Romanam venisse ad AUGUSTUM salutandum, L. FLORUS (*) scribit, patiar faceffere, tametsi observavero, ejus temporis fuisse, quo & Magi ex Oriente in Judæam venerunt ad cunas Regis Magni. Sed jam me continebo Romanorum in memoriâ antiquiori, quæ non minùs tibi familiaris est, ut ex eâ saltem repetam quatuor veluti selecta exempla, & in singulis observem Triumviros clarissimos, quos ubi conjungo, numero XII. viros Legatos nobiles, quibus antiquitatis illius literæ nullos edunt illustriores: res tamen ipsa & personarum, & causæ, & actionis comparatio efficere potest, ut illi vobis potius, quàm vos illis cedatis.

Primum exemplum, quod & ordo temporis, & ipsius quoque nostræ Jurisprudentiæ memoria nunc mihi suggerit, dicam esse, cum tres Jurisconsulti maximi à Romanis in Græciam missi sunt ad Leges petendas; quæ fuerunt veluti priora capita XII. Tabularum, quibus operam damus in scholâ Juris. Dico illos veluti Triumviros Legum quærendarum, SP. POSTUMIUM ALBUM, A. MANLIUM, & SERV. SULTIUM CAMERINUM. Addo, comitem iis, & interpretem datum, & adjunctum fuisse HERMONDORUM EPHESIUM, qui & propterea statuat deinde Romæ meruerit, pulsum quidem illum suâ Epheso, sed virtutis causâ: tantoque propterea magis Romæ exceptum magno

(*) *Lib. IV. cap. 12. num. 62.*

rum honore
& doctrin

Ecce ZAMOS

coria impi

neque cum

neque tibi

ut pluribus

verem Græ

cientibus,

os, ac Lyc

na (nam &

que jam tu

thuris, Loc

aque Za

bligatio;

Nihil

debet.

erunt, tam

thensium

ceperun

que rec

rejecit, val

bonus fit:

quam fateri

res nunc fi

missis ad F

Francorum

ne tempe

viamnum

non enim F

nam. Antiq.

no cum honore : non enim eo tempore virtus, & doctrina toto orbe pulsa exulabat.

Ecce ZAMOSCI! quales ex illius antiquitatis memoriâ imprimis excito, tibi que sisto Legatos: neque cùm eos indicavi, quid velim, ignoras, neque tibi veteris historiæ perito necesse, est, ut pluribus verbis dicam, illos non modò veterem Græciam totam peragrassè, ut ab Atheniensibus, & Lacedæmoniis selegerent SOLONIS, ac LYCURGI leges, sed & illam Italiæ partem (nam & id HALICARNASSÆUS (*) testatur) quæ jam tum magna Græcia dicebatur, ut à Thuriis, Locrisque recentiores leges CHARONDÆ, atque ZALEUCI repeterent. Egregia profectò legatio; sed vestra major, nec tamen dissimilis. Nihil enim inter Regem, & legem interesse debet. Non existimo, cùm Athenas illi venerunt, tam corruptos, & à legibus alienos Atheniensium mores fuisse, quàm paulò post esse cœperunt, cùm dictum est, eos scire quidem, quæ recta sunt, sed facere nolle: & PLATO adjecit, valde bonum esse debere, qui Athenis bonus sit: verùm etsi non minùs negare, quàm fateri pudeat, quàm corrupti, & degeneres nunc sint Galliæ nostræ mores, in quam venistis ad Regem requirendum, tamen veteres Francorum leges optimas, & ad regnum bene temperandum sapientissimè compositas etiamnum extare dicam: quas si cum Rege (non enim Regem legibus solutum petitis)

(*) *Roman. Antiq. Lib. X. p. m. 355.*

titis) domum referatis, si quas vestris adjungere velitis, quid est, cur major esse debeat gloria, vel Triumvirorum Legatorum, quos dixi, vel ipsorum Decemvirorum, qui XII. Tabulas edidere, quàm XIII. virorum hodie Polonorum Legatorum? Ego, qui leges Romanas doceo, & profiteor, non debeo fortasse Censor earum esse, quarum sum interpres in scholâ. Sed magis impudenter fecero, si inficer, multa in illis XII. Tabulis notari posse, quæ & nostræ Galliæ, & Poloniæ vestræ jurisprudentia jure, meritoque repudiavit: neque mihi fuerit facilius quicquàm, quàm id pluribus verbis ostendere, si opus esset, ut comparatio vestram sapientiam, gravitatèmq; magis, atque magis illustret. Neque tamen tam aut nobis, aut vobis blandiar, ut non agnoscam, & in Francicis, & in Polonicis legibus multa esse, quæ, vicissim notari possint, & emendari debeant. Sed id videritis domum reversi. Illud nunc dico, in unâ certè Lutetiâ Parisiorum, quam videtis, multas Athenas esse videri, neque vobis hîc deesse, quod Legati illi Romani Athenis viderunt. Fateor, iis occurrisse senatum Areopagiticum, qui eo tempore etiamnum florebat. Fateor, ipsum PERICLEM, CIMONEMQUE Atheniensem Principes tunc vixisse: cum quibus de totâ Reipublicâ conferre Legati illi Romani potuerint. Sed an nullus hîc vobis Areopagus, nullus PERICLES, CIMON nullus occurrit? Faceffat turba impuræ, & colluvies lutosæ, & fæculentæ multitudinis, cùm quâ vobis

bis

nihil est re
 usquam
 ex rogat
 fit, nomi
 notus sit.
 nostrum
 quem j
 ut comp
 is in Græ
 Legatos
 ex Chro
 rum bell
 regabat,
 omnes, &
 quidem L
 quod & n
 scisse, ut,
 domestic
 relinque
 inter Athe
 sit, reco
 reversis,
 tam toto
 em etiam i
 Dioporu
 nsa! non
 legatione
 quoque
 quodam, qu
 one, sive p
 in Biblioth

bis nihil est rei. Egregios certè aliquos viros, si qui usquam sunt, credo hìc vobis occurrere: & ut ex rogatis multis unum, qui multorum loco sit, nominem, qui & vobis jam familiariter notus sit, honoris causâ iterum nomino, illum nostrum, Regis quoque vestri Cancellarium, quem jam ante nominavi. Quid dicam, ut comparationem reliquam pertexam, missos in Græciam esse illos legum quærendarum Legatos, quo tempore (nam & id diligenter ex Chronologiâ observavi) Græcia post extinctum bellum Persicum, dissidio intestino conflagrabat, & bello plusquam civili inter Athenienses, & Lacedæmonios ardebat. Sed ne id quidem Legatos deterruit. Et bene habet (quod & nunc non temerè laudavero) illos fecisse, ut, à quibus leges repetebant, iis pacem domesticam, diurnamque, cum discederent, relinquerent. Nam & quale tunc fœdus inter Athenienses, atque Lacedæmonios ictum sit, recordor, & cum Legatis illis Romanam reversis, latae sunt XII. Tabulæ, altam, & beatam toto terrarum orbe, & nominatim quidem etiam in Galliâ, Hispaniâ, Italiâ pacem fuisse, DIODORUS (*) scribit. Quod cum dico, ZAMOSCI! non dissimulo, quid nunc vel à vestrà Legatione speret Gallia, vel post discessum quoque vestrum expectet à vobis: ut concludam, quamvis biennium in suâ sive Legatione, sive peregrinatione Triumviros illos

Lega-

(*) in Biblioth. Histor. Lib. XII. Cap. 26.

Legatos consumpsisse in Historiâ observavero, tamen vos, etiâ ne quartam quidem ejus temporis partem impendatis, & multò plus terrarum interea emetiâmini, & majoribus difficultatibus iter vestrum obsessum esse videatur, majus quippiam effecisse, quod & Galliæ, & Poloniæ, & Europæ universæ profit. Quo nomine qui annuli, quæ statuæ, quæ potestates, & dignitates vobis non debebuntur? Tu ZAMOSCI! (nondum enim discedo à libris tuis, quorum suavissima lectio me retinet) in iis docuisti, ex PLINIO, iis tantùm, qui Legati ad exterâs gentes ituri essent, annulos publicè datos fuisse, quoniam ita exterorum honoratissimi intelligebantur. Sed vobis domum revertentibus, quæ poterit Gallia honoris insignia, etiam conferet. Tu ex CICERONE tradidisti, eorum, qui ferro in Legatione essent interfecti, mortem, statuâ ex Scto positâ, honoratam fuisse. Vobis verò hac Legatione potius, quàm vitâ præclarè functis, majorem statuam multò magis ponendam esse, omnes boni censent: ut & positam fuisse dixi HERMUNDORO EPHESIO, Legatorum Romanorum, de quibus agimus, Comiti, & interpreti. Denique ex LIVIO observasti, Legatos illos, postea Decemviros, legum XII. Tabularum latores, creatos esse, ut pro Legatione tam longinquâ (sicuti LIVIUS (*) ait) præmio esset honos. At nos vobis pro præmio vestræ Legationis dicemus deberi Regis

(*) *Histor. Lib. III. p. m. 194.*

gis ipsius, quem hinc aufertis, informandi, docendi, instituendi curam, ut in consilio nunquam ab ejus latere discedatis.

Venio ad secundum exemplum illustrium Legatorum: dico illam, quam tu laudasti, ut dixi, & quam PLINIUS vocat nobilem Legationem trium sapientiæ Procerum: dico tres illos Philosophos, quos Athenienses propè trecentis post superiorem Legationem annis Romanam miserunt, deprecandæ quidem mulctæ cujusdam causâ, sed cum accessione gravioris disputationis de justitiâ, & jure. Scio humilem aliis, & prope scholasticam Legationem posse videri. Sed tu, (ZAMOSCI! & tui ordinis homines literati, & quicumque Philosophiæ honore delatantur, illius memoriam colunt: & ipse (ut scis) ipse CICERO tanti hanc historiam fecit, ut de eâ suum *Atticum* studiosè consuluerit. *Quibus* (inquit *Lib. 12. Epist. 23.*) *Consulibus Carneades, & ea Legatio Romanam venerit, scriptum est in tuo Annali. Hoc nunc quaero, quæ causa fuerit? De Oropo, opinor. Et, si ita est, quæ controversia: præterea qui eo tempore Athenis πολιτικοί (*) præfuere illustres. Idem in suis Tusculanis Lib. 4. Cap. 3. Adolescentibus, inquit, Lælio, & Scipione, stoicum Diogenem, & Academicum Carneadem video ad Senatum ab Atheniensibus missos esse Legatos. Qui cum Reipublicæ nullam unquam partem attigissent, essetque eorum alter Cyrenæus, alter Babylonius,*

nun-

(*) Politici.

numquam profectò scholis essent excitati, neque ad illud munus electi, nisi in quibusdam Principibus temporibus illis fuissent studia doctrinæ.

Tuum esset ZAMOSCI! quod CICERO tuus hic quærit, & propè ignorasse videtur, exponere, qui & tertium Legatum Philosophum nominasti CRITOLAUM Peripateticum. Causam Legationis illius totam tenes, & meministi, Athenienses, qui Romanis tunc parebant, paulò antè subacti ab AMILIO PAULO, talibus deprecatoribus propter literas, & doctrinam gratiosis usos esse, ut remitteretur mulcta quingentorum talentorum, irrogata propter Oropum civitatem in Atticâ direptam: & scis, tales Legatos in Senatu auditos CÆCILIO interprete, impetrasse, quod volebant: quod non modò GELLIUS, sed & PAUSANIAS scribit: sed quid est eâ totâ in re ZAMOSCI, quod ad gloriam, & amplitudinem vestræ Legationis accedat? Non supprimo, quod extra senatum majori de re, quàm de Oropo disputarunt. Vellem verò, quid tunc DIOGENES Stoicus ex suâ porticu, quid CRITOLAUS Peripateticus ex suo Lycæo Romæ potulerit, dicere possem. Sed non nisi de CARNEADE Academico narrant veteres scriptores: otiosè illum differuisse, vel potiùs declamasse ad inanem ingenii ostentationem, modò pro justitiâ, modò contra justitiam, idque non Athenis, sed coram CATONE Censorio. Si dixerò futilia, & obtusa, & inania fuisse argumenta, quæ retorfit contra justitiam, verè fortasse dixerò: sed ne majestatem

Legationis
quis quidem
reprehender
egem Voco
at, suadeb
notter Au
dam de legat
bant; vel d
am novam
ortasse tam
era fuisset h
ola, vel in
Republicâ,
amosci, si ti
vestra Legati
a philosophia
scilleres, qu
na recitat L
lum causam
Larius, ve
publicâ. Q
& PRINIO di
viam, & cen
scessere deb
mâ judicaba
me prope
Legation
Legatorum,
De Civitat. De
Legatio male
Dionys. Inst

tem Legationis minuere videat, vereor. Probabilius quidem certè, si quid in foro Romano reprehendere volebat, accusare potuisset vel legem Voconiam, quam eo tempore CATO laudabat, suadebat, sed quâ nihil injustius esse dixit noster AUGUSTINUS; (*) vel Catonianam regulam de legatis, quæ, cum scribuntur, non consistunt; vel denique Catonianam Jurisprudentiam novam de individuis obligationibus. Sed fortasse tam acutus non erat CARNEADES, & altera fuisset hæc παραπλοῖα (**), & an laudanda, vel in legatis sit nimia curiositas in alienâ Republicâ, dubitatur. Tu quidem certè ZAMOSCI, si tibi tantum otii daret Regalis hæc vestra Legatio, & redire velles ad antiqua studia philosophiæ, & justitiæ patrocinari, facile refelleres, quod pro injustitiâ dixisse CARNEADEM recitat LACTANTIUS (***) : & hanc contra illum causam non minùs graviter ageres, quàm LELIUS, vel SCIPIO in CICERONIS libris de Republicâ. Quid dicam, quod ex PLUTARCHO, & PLINIO didicimus, venisse in Senatum CATONEM, & censuisse, Philosophos illos Legatos facessere debere, quos periculosè ingenio suo abuti judicabat? Non dicam Censoriâ hæc severitate prope violatos posse videri? jam enim suâ Legatione perfuncti exuerant personam Legatorum, ut fumerent sophistarum.

Sed

(*) *De Civitat. Dei Lib. III.*

(**) Legatio malè obita.

(***) *Divinar. Instit. Lib. V. Cap. 17.*

Sed illud dico, si, iis dimissis, ea tamen disputationum earum, quibus CARNEADES indulgit, memoria Romæ mansit, ut etiam argumentum deinde fuerit nobilissimorum librorum de republicâ, multò magis sperare me, vos, cum hinc discedetis, eam relicturos esse in Galliâ memoriam vestræ & doctrinæ, & virtutis, & sapientiæ, ut & magnum vestrî desiderium relicturi sitis; & tam cordatam fuisse Legationem vestram omni boni agnoscant, quàm ille CATO non illepidè de quâdam aliâ sui temporis Legatione dixit, eam nec cor, nec caput, nec pedes habere.

Tertium exemplum Legatorum, quod ex Antiquitate reperere, & ad vos referre volebam, est illa, quam per gentes claram fuisse dixit LIVIUS, (*) Legatio POPILII: dico tres Legatos à Romanis eodem prope tempore, quo Græci illi Romam venerunt, missos cum imperio in Aegyptum, C. POPILIUM LENATEM, C. DECIMIUM, & C. HOSTILIUM. Non valde prædico, quod obiter Rhodi fecerunt: Tibi enim, cui clementia, & lenitas magis placet, minùs fortasse probabitur. Sed laudare fatès non possum Imperii majestatem, quo POPILIUS, illius Legationis princeps, furentem ANTIOCHUM coërcuit, & Circulo in arenâ designato inclusum sic perculit, ut solo verbo coëgerit statim Aegypto discedere hunc Tyrannum. Quid?

Tam

(*) *Histor. Lib. XLV. p. m. 358.*

Tam nobilis fuit illa Legatio, ut ipse ipse DANIEL multis ante annis eam prædixerit.

Non est, quod hodierno die quicquam simile quæramus in Legatione hac vestrâ. Sed cum inter ejus principes agnoscam ALBERTUM LASCIUM, dicam, mihi in mentem venire, quod de ejus virtute Imperatoriâ accepimus. Nam ut POPILIUS ille Legatus ANTIOCHUM illum tyrannum imperioso jussu coërcuit, sic te, illustrissime LASCI! admirabili victoriâ, *Alexandrum*, Moldaviæ tyrannum, totumque ejus exercitum parvâ manu fudisse, fugasse, ante annos, nî fallor, XII. audivimus. Scito etiam, nos legisse, quam, cùm signum pugnae dares, & veluti classicum caneres, ad milites tuos habuisti præclaram concionem, professus, te justitiæ adversus tyrannidem atrocitatem suscepisse, laudansque exemplum HERCULIS, qui DIOMEDEM, Thracum Regem, quem carnibus, & sanguine hospitem equos suos pavisse ajunt, dissectum aliis in pabulum propinasse, proptereaque inter Divos relatus esse dicitur. Magnæ novæ virtute, LASCI! sic itur ad astra.

Sed ne longius discedam à proposito, redeo ad te, ZAMOSCI, & laudo quartum exemplum Legationis antiquæ, & (ut CICERO in *Lucullo* vocat) nobilis: dico eam, quæ paulo plus, quàm viginti post superiorem annis suscepta est à tribus, omnium, qui Romæ fuerunt, clarissimis viris, SCIPIONE AFRICANO AEMILIANO, L. MUMMIO ACHAICO, & L. CÆ-

CILIO METELLO, qui à Senatu missi sunt ad perlustrandum Aegypti, Syriae, Asiae, Graeciae statum. Non temerè dixi, clarissimos fuisse hos Legatos, quorum duo priores, ut scis, non modò Consulares, sed & Triumphales erant. Alter enim de Carthagine jam triumphaverat, alter de Corintho, cujus etiam everfione sancierat jus violatae Legationis. Addo verò magnum rursus ornamentum, & decus ipsius comitatûs, PANETIUM Philosophum, quem in hac Legatione Scipionis unum comitem fuisse ait CICERO. (*) Addunt alii & POLYBIUM Historicum. Hic si ego & te, & tuos collegas, & totum vestri Comitatus splendorem comparavero, an quisquam me blandiri dicet? Imò verò ut SCIPIONIS illius effigies, quam & tuus CAROLUS SIGONIUS, vir doctissimus, tam disertè expressit, delectat, suggeret, quod ille SCIPIO aliquot antè annis, cùm in Africam venisset, missus ad salutandum Regem MASANISSAM, audivit, dixit, vidit, & de se ipso narrat. Utinam verò & tu de tuo in Galliam adventu aliquando idem narrare possis. Ego (inquit SCIPIO de suo MASANISSA) *illum de suo regno, ille me de nostrâ Republicâ percunctatus est: multisque verbis ultro citroque habitis ille consumptus est dies.* Quid? MASANISSA senex complexus Scipionem adolescentem, quem regio apparatu exceperat, collachrimavit, & suspiriens in cælum, *grates tibi ago (inquit) summe Sol,*

(*) Acad. Quest. Lib. IV. p. m. 11.

Sol, quod, antequam ex hac vitâ migro, conspicio in meo regno, & his tectis Cornetium Scipionem, cujus nomine ipso recreor. Quos complexus, quas lachrimas, quas gratiarum actiones, antequam ex Galliâ cum eo pignore, quod auferetis, discedatis, in hoc regno conspicietis? Adde, quod proximâ nocte apud MASANISSAM in somnio vidit, & audivit SCIPIO, & vidisse se, atque audivisse narrat in CICERONIS *de Republicâ* libris. Utinam nunc in Galliâ tibi simile aliquod somnium occurreret quiescenti, & de Republicâ cogitanti! Sed fuimus Franci: fuit ingens gloriâ Francorum.

Redeo ad Legationem SCIPIONIS hujus in Agyptum. In eâ certè non vidit, ut in Africa, aliquem MASANISSAM, sed PTOLOMÆUM PHYSCONEM, Regem prodigiosum: cujus quidem deformitatem dicitur irrississe; ego, incestum turpiorem castigasset, vellem. Fuit tamen Alexandriae exceptus SCIPIO à populo prope adorabundo, ut Numen quoddam cælo delapsum. Nam & SCIPIONIS faciem, tanquam cujusdam Solis, populus ille conspiciere optavit, sicuti veteres scriptores narrant. Id verò nunc tibi in mentem veniat, ZAMOSCI! cùm multò numerosiore populum in occursum tuum, & tuorum collegarum effundi vides. Vis, illam SCIPIONIS Legationem novâ observatione exaggerem? Ut cùm ille ex Aegypto in Syriam transfiret, non potuit non & mediam Judæam peragrasse, & urbem Hierosolymam salutasse:

sic ex Synchronismo subtiliori observavi, id
 accidisse eo tempore, quo SIMON MACCABÆUS,
 Dux Judæorum, & Pontifex maximus, Rem-
 publicam illam Judaicam in integrum restitue-
 bat: neque SCIPIONEM intercessisse dicam, sed
 potius conjiciam, factum ejus consilio esse, ut
 SIMON, ille missâ vicissim Romam nobili Lega-
 tione, fœdus, & amicitiam (nam & *libri Mac-
 cabæorum* ejus meminere) contraxerit cum Ro-
 manis, & S. P. Q. Romani auctoritate erectum
 sit non modò hujus fœderis, sed & vindicatæ
 à SIMONE libertatis, & patriæ publicum testi-
 monium, & quidem in æs sit incisum, ut iidem
 libri indicant. Dixi breviter, ZAMOSCI, quod
 volebam de quatuor antiquis illustrium Lega-
 tionum exemplis, quas alii cum vestris com-
 parent, & ex comparatione rursus evincant,
 vestram esse tamen nobiliorem. Sunt etiam,
 qui me revocent ad exempla minùs antiqua, &
 magis vestra, hoc est, illustrium Legatorum ex
 Poloniâ vestrà in Pannoniam, & ex Panno-
 niâ in Poloniam, & ex utraque in Galliam
 missorum, qui, quod nunc agitur, priores ali-
 quando egisse videantur, sed ita vobis præiis-
 se, ut eos longo intervallo antecedatis.

Annus, ut scis, nunc agitur ducentessimus,
 si rectè numero, tertius, ex quo tempore post
 mortem CASIMIRI Magni, Regis Poloni, vene-
 runt Visigradum in Pannoniam ad LUDOVICUM,
 non minùs nostrum, quàm vestrum, Amplissi-
 mi Legati, & Oratores missi ex Comitibus Regni
 Polo-

nunci, Fi
 JOHANNES S
 NOVICUM ill
 or, salutat
 ceundum
 oniam add
 erent. I
 Regiæ sti
 gventis Fa
 CAROLI illiu
 ruit nostru
 umilem h
 agnosco.
 illum LUDO
 vum nostru
 magnum D
 que Regis I
 in discedam
 de dicam dua
 maritos dua
 rum alter
 ur; alterac
 a missa sit ex
 unicum Regis
 niâ ad JAGELL
 moniam fefel
 e quid infausti
 volo. Polonic
 zionem vestra
 magis laudave
 Christianum fe
 Mm

Polonici, FLORIANUS, Episcopus Craeoviensis, & JOANNES STRELEJUS, Cancellarius Regni, ut LUDOVICUM illum, qui jam antè Rex erat Pannoniæ, salutarent etiam Regem Poloniæ, & ad adeundum statim Regnum jam pridem illi desponsum adducerent, restitantémque etiam impellerent. Dico autem, LUDOVICUM illum fuisse Regiæ stirpis Francorum, atque adeò Andegavenfis Familiæ, & sanguinis, abnepotem CAROLI illius primi Comitis Andium, qui frater fuit nostri Regis S. LUDOVICI. Itaque non dissimilem hodie esse causam vestræ Legationis agnosco. Sed illi duo Legati ex Pannoniâ, illum LUDOVICUM; Vos XIII. Oratores HENRICUM nostrum ex Galliâ evocatis, non modò magnum Ducem Andium, sed & filium, fratremque Regis Franci.

Non discedam longiùs, si deinde meminisse me dicam duarum Legationum ad quærendos maritos duarum hujus LUDOVICI filiarum, quarum alteri Pannonia, Polonia alteri deferebatur; alteraque propterea Legatio in Galliam missa sit ex Pannoniâ ad LUDOVICUM, fratrem unicum Regis Franci CAROLI VI. altera ex Poloniâ ad JAGELLONEM, Lithvaniæ Ducem. Sed Pannonicam fefellisse doleo, neque jam illius, ne quid infausti ominis objiciatur, recordari volo. Polonicam verò, quæ accersivit JAGELLONEM vestræ, nostræque HEDUIGIS sponsum, magis laudavero, præsertim quæ ex pagano Christianum fecerit, nedum ex Duce

Regem. Sed cùm Legatos modò duos, eòs-
que minùs illustres fuisse lego, VULODICUM,
Pincernam Cracoviensem, & CHRISTINUM,
Præfectum Casimiriensem: quales verò, quan-
tisque, & quot Oratores nunc huc veneritis,
comparo, auguror, majus quippiam vel spon-
deri, vel dari. Neque sententiam mutavero,
vel si duobus illis adjiciantur octo principes
Legati ex vestro senatu, post mortem ULADIS-
LAI, ad Varnam cœsi, ad ejus fratrem, & hæ-
redem CASIMIRUM accersendum, missi in ex-
tremam usque Lithuaniam. Nam neque quod
petebant, statim impetrarunt, neque ille vo-
cantes statim est secutus. Quid dicam de eâ
Legatione, quam paucis pòst annis vicina ve-
stra Pannonia emisit in Galliam ad deducen-
dam LADISLAI Regis sui sponsam MARGARITAM,
Regis nostri CAROLI VII. filiam? Scio, quàm
cum toto suo splendore infelix, & inanis pro-
pter repentinam LADISLAI mortem fuerit. Sed
ante tristissimum ejus mortis nuncium, quid
vidit Gallia lætius, quid splendidius, quàm
Principem ejus pronubæ Legationis UDALRI-
CUM, Pontificem Passaviensem cum octingentis
Nobilibus Pannonicis Equitibus, & ex Gynecæo
Hungarico quadringentis vel matronis,
vel virginibus, quæ curribus auratis invectæ
sponsam comitarentur? Tantum tamen abest,
ut in ejus pompæ splendore quicquam fuerit,
quod velimus cum vestræ Legationis orna-
mentis comparare, ut etiam luctus repentinus
oppresserit, & dissiparit luxum, quem dixi.

Feli-

Felicior,

LADISLAI MOR

LADISLAI COR

um, & ex

um, princ

Varadien

quam h

mit ad

cum Reg

ubere? N

ille in con

volentes r

mitate, e

et equis,

Sed nit

reor, ne

tamen te

legationem

ex vestra E

penter ali

bis petit)

MATHIE U

tatis, tanto st

no desiderio

ductus est

Sed ne il

tres illas t

um unâ hac

tura hujus

preterii P

et antiqui

M.

Felicior, & lætior fuit, proximo post illius
LADISLAI mortem anno, Legatio Hungarica ad
MATHIAM CORVINUM, adolescentem, salutandum
 Regem, & ex carcere Boëmico ad folium edu-
 cendum, principe talis Legationis **JOANNE VI-**
TESIO, Varadiensi Antistite. Idémque dixero &
 de eâ, quam hic **MATHIAS**, jam senex in Gal-
 liam misit ad feriendum quoddam sanctius
 fœdus cum Rege nostro **CAROLO VIII.** vix-
 dum pubere? Nam Hungarici annales testan-
 tur, fuisse in comitatu illius Legationis trecen-
 tos adolescentes nobiles eâdem prope & ætate,
 & proceritate, eâdemque tectos veste purpu-
 reâ, sed & equis, qui eodem essent colore, in-
 sidentes. Sed nihil moror inanes pompas, in
 quibus, vereor, ne nimium sit vanitatis. Non
 prætereo tamen tertiam illius Varadiensis illu-
 stre Legationem, Pannoniæ nomine suscep-
 tam, ut ex vestrâ Poloniâ (hæc enim non mi-
 nus frequenter aliis nationibus Reges dedit,
 quàm ab iis petiit) Rex accerferetur, cum post
 mortem **MATHIÆ ULADISLAUS**, **CASIMIRI** Poloni
 Regis filius, tanto studio ab Hungaris Rex ele-
 ctus, tanto desiderio expetitus, tantoque splen-
 dore adductus est ad adeundum Pannoniæ
 Regnum. Sed ne ille quidem Varadiensis, si
 viveret, & tres illas suas Legationes conjunge-
 ret, eas cum unâ hac vestrâ comparaverit.

Quid plura hujus generis persequar? Ecce
 properans præterii Polonicam illam Legatio-
 nem multò & antiquiorem, & magis novam,

quæ ex Galliâ quidem, sed ex Cluniacensi monasterio, ante annos plus quam quingentos Regem bonum repetit, educatione quidem, & domicilio propè jam Francum, sed ex regiâ tamen stirpe vestri Piaſti. Meliori quidem certè jure factiosos illos præteriero, qui trecentis post annis ex altero Galliæ monasterio Diviodunenſi evocarunt ULADISLAUM illum monachum ejusdem stirpis, ut post mortem CASIMIRI *magni*, Poloniæ Regnum nullo bono jure adiret, & LUDOVICUM nostrum, de quo post dicam, vi excluderet, si posset.

Possem & ex Andegavensium nostrorum Francicis monumentis repetere Legationum exempla, quibus Andium Duces accersiti sunt ad Regna adeunda, quæ nunquam non delata, & oblata fuere, fatali quadam felicitate, Andium Principibus. Sic Hierosolymitanam Legationem laudare possem, quæ FULCONEM, Andium Principem, ad illud Palæstinæ Regnum aliquando capeſſendum, hoc est, ad ducendam filiam; & hæredem BALDUINI secundi, Regis eduxit: vel si malumus exempla etiamnum similia, possem prædicare Legatos, vel qui CAROLUM, hujus nominis primum, Comitem Andegavensem, filium, fratremque Regis Francorum, & quidem fratrem nostri S. LUDOVICI, in possessionem Regni Siculi, & Neapolitani misere, vel qui centum post annis LUDOVICUM hujus nominis primum Ducem Andium, & secundæ familiæ Andegavensis caput, & Regis Franci
fra-

fratrem, filiúmque, & quidem fratrem illius nostri CAROLI V. qui meritò sapiens dictus est, Regem Neapolitanum appellavêre, & in Italiam cum exercitu proficiscentem comitati, atque secuti. Sed in illis exemplis nihil est, quod debeam, & velim comparare cum hujus vestræ Legationis conditione.

Age verò, ZAMOSCI! etsi meum non sit rescire ejus mysteria, neque quod vel Regius in maximis vestris Comitibus Legatus dixit, ut electionem, quam impetravit, impetraret, vel quod vestro omnium nomine, atque ad eò universi Regni vestri Reverendissimus Antistes ADAMUS CONARSCIUS, Episcopus Posnaniensis, dicturus est de renunciatione illius Electionis, vel quod, Franciæ, & Regis nomine, responderetur, delibare velim, aut aliis dicturis quicquam præripere, aut præcipere: tamen, credo, mihi licebit, ecquid, cum de tali renunciatione audiunt homines literati, & optimarum literarum studiosi, ex literis illis, gratulationis cujusdam suæ, & faustæ acclamationis causâ repetant, non suppressere. Venit quidem certè illis in mentem, quod SÜETONIUS TRANQUILLUS scribit in *August. Cap. 58.* Senaturn Romanum per VALERIUM MESSALAM, id mandantibus cunctis, AUGUSTO detulisse, cognomen Patris Patriæ, hâc formulâ: *Quod bonum, faustumque sit tibi, domuique tuæ, Cæsar Auguste (sic enim nos perpetuam felicitatem Reipublicæ, & læta huic precari existimamus) Senatus te consentiens*

tiens cum Populo Romano consalutat Patriæ Pa-
ventem. Tum verò lacrimantem AUGUSTUM
 respondisse: *Compos factus votorum meorum*
P. C. quid habeo aliud Deos immortales precari,
quàm ut hunc consensum vestrum ad ultimum vitæ
finem mihi perferre liceat. Relegunt etiam, ec-
 quid JULIUS CAPITOLINUS scribat, acclamatum
 uno consensu esse, cùm Senatus duos optimos
 Imperatores creasset, CÆLIUM BALBINUM, &
 MAXIMUM PUPIENUM. Recordantur, quod
 FLAVIUS VOPISCUS narrat, cùm VETTIUS COR-
 NIFICINUS Consul ad Senatum retulisset de novo
 Imperatore creando, & placeret TACITUS, qui
 aderat, Consularis primæ sententiæ, quid ac-
 clamatum statim sit ab universo Senatu: ne-
 que non postremam ejus acclamationis clausu-
 lam lubenter ingeminant, & si quæ usquam
 Echo sit, ab eâ quoque ingeminari volunt: *di-*
co hanc, quis meliùs, quàm literatus, impe-
rat? Observant, quod idem VOPISCUS ait, ac-
clamatum quoque esse ab universo populo,
felicissime Tacite Auguste! Dii te servant: &
reliqua adjecisse, quæ solent dici: neque quæ-
nam illa sint, ignorant. Et ne longiùs abeam
 memoriâ repetunt, cùm Romæ ineunte anno
 DCCCI. electus, & salutatus esset Impera-
 tor Augustus, noster CAORLUS Magnus, audi-
 tam esse hanc vocem populi acclamantis, *Ca-*
rolo Augusto Magno, & Pacifico vita & victoria:
 vel si quæritur exemplum cum suâ formulâ
 multò recentius, & prope Polonicum, ex opti-
 mis annalibus Hungaricis observant, quoties
 illud

Felicitate,
 unum sit pe
 omnes & t
 diebus n
 mas Corvi
 cum, eo
 Regis
 vocat

sed si mihi
 re renuncia
 cogitat
 fugerun
 pollum neg
 gnum PA
 & agentem
 mem coo
 nostram, c
 & mult
 Principibu
 literis conf
 principes fui
 Reges (inq
 quod cum d
 perari, ext
 ramur, hoc
 at certè al
 tum; ne n
 quoddam inel
 vel augur
 qui neque a
 uno eventu

illud *Feliciter, Feliciter* acclamatum, & ingeminatum sit per universam Pannoniam, ejusque omnes & urbes, & pagos, & vicos, & agros diebus multis, cum renunciatus esset MATHIAS CORVINUS electus Rex Pannoniæ: vel etiam cum, eo mortuo, vester ULADISLAUS, CASIMIRI Regis vestri filius, ad illud Regnum Pannoniæ vocatus est.

Sed si mihi licet privatas meas quasdam, cum de renunciatione electionis, quam adfertis, audio, cogitationes exponere, dicam, quod eæ mihi suggerunt, neque asingam quicquam. Non possum negare, cum ante annos tres, Panegyricum PACATI, dictum THEODOSIO *Magno*, & agentem quoque de admirabili ejus ad imperium cooptatione, referrem ad Principem nostrum, quem Ducem Magnum appellabam, & multa præmonerem de Andium antiquis Principibus, illud me palam prædicasse, & literis consignasse, quotquot olim Andium Principes fuissent, fuisse quoque deinde Reges, Reges (inquam) ab aliis gentibus ascitos. Quod cum dicerem, volebam & illud intelligi, sperari, expectari, quod jam factum esse admiramur, hoc est, Regnum, si non Polonicum, at certè aliquod, delatum iri novo Duci Andium; ne non videretur saltem præfagium quoddam inesse meæ illi præmonitioni: non enim vel augurium, vel vaticinium dicere volo, qui neque augur sum, neque vates: sed tam bono eventu confirmatum esse, quod

in eo genere prædicere videbar, tametsi miror, tamen non possum non gaudere. Valeat cum suis fatuis Chaldæis tyrannus ille TIBERIUS, qui SERGIO GALBÆ multò ante prædixisse dicitur, eum aliquando degustaturum esse imperium. Valeat Judæus JOSEPHUS, qui ex vinculis ariolando, ne dicam, assentando (tametsi non difficilis tunc esset conjectura) VESPASIANO imperium veluti despondit. Ego non alias novi regnorum sortes, quàm DANIELIS Prophetæ oraculum, docentis, regna dari, atque transferri certâ Dei providentiâ, & ex eâ religiosè vaticinantis de futuris Imperiis. Sed fas mihi fuisse puto, sperare, delatum aliquando iri Diadema Principi illi nostro, quod omnibus antè Principibus Andium delatum fuisse memineram. Nam etsi eo tempore nullum in Europâ vacans Regnum occurreret, quod vel probabiliter, vel liquidò despondere possem, tamen ne id quidem meam spem infrungebat. Non poteram profectò, non audebam, neque in mentem mihi veniebat, animo, & spe concipere, atque adeò præcipere, quod jam accidit: neque erat, puto, quisquam, qui tale, tantùmque Regnum tam diffitum à finibus Galliæ, tali studio, & consensu ignotarum nobis gentium, tantòque, & tam liberali consensu suffragiorum aliquando delatum iri, ullâ cogitatione definiret, tametsi fortè interea multi secum revolverent de Principe nostro illud Latini Regis de suo AENEA *Lib. 7. Aeneid. v. 272.*

Hunc

- - - - - *Hunc illum poscere fata,*
Et reor, & si quid veri mens augurat, opto.

Equidem & sciebam, & memineram, Gallos, Francosque olim fuisse etiam veluti Sarmaticos: hoc est, non modò quandam olim fuisse Celto - Scythiam, quæ Gallorum in illo Septentrione sedes, & colonia fuit: (cujus meminere HERODOTUS, DIODORUS, & in *Pompejo* PLUTARCHUS) & (quod LIVIUS scribit) illos Pannoniam, Thraciam, Illyricum suis colonis illustrasse: imò quod est apud TACITUM, (*) Bojos, & Bojemos, gentes esse Gallicas: sed etiam nostrum CAROLUM *Magnum*, Francorum Regem, Nationibus illis imperasse.

Romanum quidem, & Constantinopolitanum Imperium, quamvis latè patuerit, usque ad nostri JUSTINIANI tempora, & Trans Danubianas suas provincias, coloniásque habuerit (nam & coloniarum in Daciâ Juris Italici meminit noster ULPIANUS in *Pandectis* (**)) emendatis) atque hac ratione ad fines vestros, limitésque Regni vestri, proximè accesserit; nunquam tamen in eo imperasse, nunquam jus dixisse. Nam etsi post bellum Marcomanicum MARCUS ANTONINUS voluerit Sarmaticam facere provinciam, ut ait JULIUS CAPITOLINUS, non fecit tamen. Ubi verò ad Francos translatum fuit imperium, statim Sclavicas (ut vo-

Occur-

(*) *German. Cap. 28.*

(**) *L. 1. §. 8. & 9. ibidem GOTHOFREDUS in not. lit. 1. & m. π. de censibus.*

cabantur) provincias, quæ Sarmaticæ fuerunt, Francis paruisse confitebar, quarum prima, & maxima fuerit, quæ Polonia deinde dicta sit. Occurrebat enim rarus ille, sed bonus, & satis antiquus testis (scripsit enim ante annos quadringentos) HELMOLDIUS LUBECENSIS Historicus, qui, cum scriberet de suis Slavis, scripsit, non modò Poloniam esse magnam eorum provinciam (neque scio antiquiorem scriptorem, qui Poloniæ verbo utatur) sed & Slavorum gentes, Francorum imperio subjectas fuisse tempore CAROLI Magni. Verùm ne id quidem mihi persuadebat, fore, ut aliquando rursus viderem, vel audirem, quod hodie, audio, video. Sciebam, quod in Germaniâ vidi, & vos in vestro itinere vidistis, ut ad Mœnum, qui in Rhenum influit, esse nobilem urbem Francofurtum, hoc est, trajectum, vadumque Francorum in Galliam migrantium, sic & trans Albim, ad Oderam, sive Viadrum, qui Germaniam, & Poloniam alluit, alterum non minus nobile, & literata quoque Academia illustre nunc esse Francofurtum: quod interpretor fuisse veterum Francorum ex Germaniâ in Poloniam migrantium quoddam monumentum: ut & apud NICETAM scriptorem Græcum lego celebrari Francochorion ad Savum Pannoniæ. Sed ne ea quidem memoria efficere poterit, ut hoc tempore vel cogitare, vel suspicari possem, rursus vestigiis, è principatu Francorum hinc illuc migrantium, renovatum iri in illis regionibus, quod jam pridem

exolevera
nceps Andic
m dico, ut n
bit: dico A
pore nostri J
bexortu Vi
illos om
ntur, à Da
Non sum ob
Magni,
vocant, cuju
ent, quæ P
Andium P
Regem
& beata
Sed Duc
Regis Franc
anis plusqu
orum esse q
illius o
Septent
conjunct
tervallo inter
conjunctio
cumulanda
sem no
operastis: &
num Poë
Quod optanti
volvend
Præm. Inst. in
Tanta. &

dem exoleverat. Et quis tandem putasset, ut Princeps Andicus fieret etiam Anticus? Anticum dico, ut noster JUSTINIANUS (*) se se inscribit: dico Antes, quos JORNANDES GOTHUS tempore nostri JUSTINIANI scribebat cum Slavis ab exortu Vistulae in Aquilone confedisse, & fortissimos omnium, qui ad Pontum Euxinum curvantur, à Danubio ad Danastrum extendi.

Non sum oblitus, deficiente quoque stirpe CAROLI Magni, illum HUGONEM, quem *Cape- tum* vocant, cujus Majores in illà Saxonià regnaverunt, quæ Poloniæ vestrae vicina est, non modò Andium Principem, sed & ex Andium Principe Regem Franciæ sensim factum esse: ex quo & beata illa stirps Regum nostrorum manat. Sed Ducem Andium, filium, fratremque Regis Franci, ex illius HUGONIS posteritate, annis plusquam sexcentis post, eò veluti reversurum esse quodam quasi postliminio, ad adeundum illius oræ Regnum quoddam, & ad Sarmatici Septentrionis cum hoc Occidente Francico conjunctionem tam diu, tamque longo intervallo interruptam, veluti renovandam, talique conjunctione Majestatem utriusque Regni cumulandam quis sperasset? Ergò vos, ZAMOSCI! spem nostram, atque expectationem etiam superastis: & juvat exclamare, quod est apud optimum Poëtam, *lib. 9. Æneid. v. 6.*

*Quod optanti, Divum promittere nemo
Auderet, volvenda dies en attulit ultrò.*

N ñ

Dixi

(*) *In Procem. Inst. in Constit. Omnem de Jur. docend. ratione, in Const. Tanta. & in Const. Ded. de confirm. Digest.*

Dixi Andium Principes omnes olim ad aliquod Regnum ab aliis gentibus asecitos esse, & quid inde conjicerem, sperarémque de nostro, dixi: sed si ineatur comparatio Regni nunc delati, & aliorum olim delatorum: majus quiddam nunc occurreret, quod in prioribus illis simile non sit. Prætereo FULCONEM illum Andegavensem Regulum, ejus nominis quartum, qui ad Regnum Hierosolymitanum, ejusque filium GODEFRIDUM, qui ad Regnum Angliæ, aseciti esse videntur: sed uterque non nisi veluti dotalis, & uxorius REX fuit, si REX fuit. Plus habuerit similitudinis, CAROLI I. ex Regiâ Francorum stirpe, Principis Andium, quem & filium, & fratrem Regis Franci dici potuisse dixi, ad utriusque (ut vocabatur) Siciliae Regnum adeundum electio, & evocatio, quamvis Pontificio potissimum beneficio subnixa: ut & illius quoque liberos ad Regnum Hungariæ, & postremò Poloniae evasisse meminimus. Neque non consideramus, alteram illam familiam Regiæ Francorum stirpis, Principatu Andegavensi potitam, ductâ origine à LUDOVICO filio Regis nostri JOANNIS, fratre CAROLI V. Sapientis, ad Regni Neapolitani possessionem partim Pontificiâ auctoritate, partim muliebri arrogatione multis annis enixè contendentem. Sed comparisonem non admittimus. Non est ergo novum, Principem Andium Regem fieri; novum potius esset, si non fieret. Sed novum tamen, & insolens esse videtur, quod nunc accidit: nec tamen est omnino, si LUDOVICUS illæ Poloniae Rex, cujus

antè memi
Eri dicat
Andegavensi
regale, se
& propè
minem regn
pore, & an
qualis Car
entis fuerit e
um (ut vocar
fuit Francoru
cruem
ut ejus libe
Regno Neap
desierint:
Primi
ego, & qua
Sed me
xii, condit
ungarico sic c
CAROLI ab
fuerit,
quidem ce
die ex vest
esse videatur
beat, quàm
signatione,
& felicit
Comitiis vest
manes veluti
& deprec
N

cujus antè memini, occurrat. Bene est ZAMOSCI! Etsi dicatur fuisse quidem olim Principum Andegavensium quoddam fatum (ut ita loquar) regale, sed simul fuisse tandem funestum, & propè Tragicum: excipiam saltem conditionem regni Polonici. Fateor toto me & corpore, & animo cohorrescere, cùm recorder, qualis CAROLI illius primi Comitis Andegavensis fuerit exitus, quale Regnum, Siculis etiam (ut vocantur) vesperis, hoc est, funestissimâ Francorum strage, & barbarâ Siculorum fraude cruentatum: & multò magis, cùm cogito, ut ejus liberi, nepotes, & pronepotes, in Regno Neapolitano, Tragicis paricidiis absumpti desierint: vel etiam qualis fuerit exitus LUDOVICI Primi Ducis Andegavensis in eodem Regno, & quales in eo æumnæ posteritatis illius. Sed me consolatur, quam excipere me dixi, conditio Regni Polonici, quod cum Hungarico sic delatum fuit LUDOVICO alteri, illius CAROLI abnepoti, ut in eo finis non minus lætus fuerit, quàm felix principium fuerat.

Nihil quidem certè est, ZAMOSCI! quod hodierno die ex vestris annalibus magis repetendum esse videatur: nihil, quod magis inculcari debeat, quàm quod de ejus LUDOVICI stirpe, designatione, electione, inauguratione, virtute, & felicitate dici potest. Nam & Regii in Comitibus vestris Legati oratio, illius LUDOVICI manes veluti excitavit, ut talem suffragatorem, & deprecatorem haberet: & jam

cœpit in ore multorum esse hoc exemplum, quod nuper dolebam à multis non modò nostris, sed & vestris hominibus ignorari. Quid enim dicam, STANISLAUM ORICHONIUM in vestro Regno doctissimum, & eloquentissimum virum, siue oblivione, siue præteritione quâdam videri LUDOVICI illius memoriam suppressisse? Nam in suâ (ut vocat) Chimerâ, *Cum (inquit) stirps Miesconi Monarchæ in Casimiro Magno defecisset, Uladislauum Jagellonem ex Lithuania accivimus.* Atqui post CASIMIRUM accitus fuit LUDOVICUS ille noster, ut scis, ejusque filiam fuisse scimus HEDUIGIN illam, quæ JAGELLONI nupta fuit.

Hic ego ZAMOSCI! Collegam in hâc Legatione tuam, JOANNEM HERBURTUM FULSTINIUM, virum doctissimum, atque clarissimum honoris causâ appellabo, & Historicum egregium laudabo, & in collegio vestræ Legationis magnum ornamentum esse agnoscam: ex cujus Chronicis Polonicis (quæ & Gallia nunc sic colit, ut ex Latinis Francica fecerit) potissimum didici, quod non vobis, qui scitis, sed aliis qui ignorant, de illo LUDOVICO indicare vellem. Ac quidem illud imprimis observasse me, non molestè feres, cum antea Poloni nunquam Regem creassent, nisi Polonum, neque ve externum, vel peregrinum eâ unquam dignitate auxissent, consuetudinem illam suam tam diuturnam primùm eos immutasse (ac feliciter quidem, atque ex re suæ Reipublicæ), ut Francum Andegavensem, hoc est, illum LUDOVICUM

CUM

ORAT.

singulari q
arrogaren
tam addict
scunt à per
barus esset f
eius fan
haberent
novi Regis i
potius qu
bonur
nem, quem
quam aliund
populisc
viatores
Dicta
illius vel
quod Dio
Rege Tyrio
Patri Miracis
Polonia e
genatis, fact
ab impot
sua famil
successisset
(**), cuju
desiderium
quam tamen
astico sese d
MIESLAI ill
N
Biblioth. Histo
Carestia Prin

eum singulari quodam, & salutari privilegio veluti arrogarent, atque adoptarent. Fuerant antea tam addicti suæ nationi, dum sibi cavent, & metuunt à peregrinis, ut cum Tragicâ morte sublatus esset ferus, & perfidiosus tyrannus, & totam ejus familiam, atque stirpem meritò exosam haberent, tamen ita sese, & electionem novi Regis in suâ gente continuerunt, ut Piaſtum potius quendam hominem ignobilem, sed virum bonum prope ab aratro repetere maluerint, quem regendæ Poloniæ præficerent, quàm aliunde alium accersere: ut & olim Senatus, populûsque Romanus sæpe ab aratro per suos viatores dicitur accersivisse optimos Imperatores, Dictatores, Consules: nisi si potius cum illius vestri Piaſti conditione comparemus, quod DIODORUS (*) narrat de BALLONYMO Rege Tyrio. Sed & cum ex posteris illius Piaſti MIECISLAUS Rex Poloniæ, paulò postquam Polonia evecta esset ad fastigium Regiæ dignitatis, factus esset tam intolerabilis tyrannus, ab impotenti uxore depravatus, ut cum totâ suâ familiâ proſtigatus à populo suo fuerit: successisset verò non minùs malum, ἀναρχία (**), cujus tædio, & miseriâ excitatum fuit desiderium legendi novi alicujus Regis: potius quàm tamen alicui vel peregrino, vel etiam Piaſtico sese daret Polonia, placuit, CASIMIRUM MIECISLAI illius filium, in Monasterio

N n 3

Clunia-

(*) *In Bibliotl. Histor. Lib. XVII. cap. 46.*(**) *Carentia Principatûs.*

Cluniacensi in Franciâ inclusum, atque educatum accersere, & ex secessu illo monastico ad solium paternum revocare. Adeò Polonia sese addixerat uni illi stirpi Piaasticæ. Sed tantò magis ZAMOSCI! agnoscimus, & admiramur, eam post CASIMIRUM à suis Polonis rejectam esse, ut substitueretur Franca Andegavensis, quæ & jam regnabat in Pannoniâ. Quid dico post CASIMIRUM? Paulò postquam Poloniæ Principatus in ULADISLAO LOCTICO instauratus pristinam dignitatem regiam recuperasset, ejus defendendæ, & vindicandæ causâ, vivo, & volente CASIMIRO illius ULADISLAI filio, asciti sunt nostri illi Franci Andegavenses. (Non narro tibi ZAMOSCI! vel tuis, à quibus hæc accepimus: narro aliis, narro nostris, hujus alioqui historiæ fortè oblitis) Nam cum ULADISLAUS ille post varios casus, post tot discrimina rerum, pacatam regni sui Polonici possessionem adeptus esset, dicitur paulò post annum CHRISTI MCCCXX., quo Cracoviæ solenni ritu coronatus fuerat, generum sibi ascivisse CAROLO ROBERTUM (quem Hungarum vocant, ego Francum Andegavensem voco) cui filiam suam elocavit, & quem CASIMIRO filio suo substitui, atque succedere voluit. Et verò jam antè expertus erat, quantum & opis, & auxilii abs tali socio, & fœderato repertiisset ad suæ Poloniæ defensionem, præsertim adversùs Boëmos, & Prutenos: ut & deinde CASIMIRUS mortuo patre sensit magis, atque magis, qualem in illo & ipse fratrem affinem,

&

Polonia vind
quò minùs
in Comitibus
Habebat
se etiamnu
XX. (nan
duxerat) ut
ignorabat
vivent
aut infrin
vorum
videbatur
LATINUS at
of. 98.
venium
in astræ
mili fides
ROBERTUS il
gati, & sub
rentis Pol
& Casimi
Sed cum
diligente
& in Poloni
ZAMOSCI
vultorum er
tionem. C
CASIMIRUM
pali caduca
nem: ecce,
tus à Polon

& Polonia vindicem, atque defensorem haberet: quò minùs miremur, ex CASIMIRI voluntate in Comitibus designatum esse Regem Poloniae. Habebat CASIMIRUS filiam nubilem, & eà ipse etiamnum erat ætate, annorum nempe XXX. (nam admodum adolescens uxorem duxerat) ut plures filios suscipere posset: neque ignorabat, cujus periculi esse soleat, designari viventis hæredem alium. Sed nihil potuit aut infringere, aut retardare, & CASIMIRI illius votum, & Poloniae desiderium: denique videbatur personare Oraculum, quale Rex LATINUS audit apud Poëtam, *Lib. 7. Æneid. vs. 98.*

*Externi veniunt generi, qui sanguine nostrum
Nomen in astra ferant.*

Nolo mihi fides adhibeatur, si quo studio CAROLO-ROBERTUS ille, & ejus filius LUDOVICUS designati, & substituti sint, & quales judicio consentientis Poloniae competitores etiam Polonos, & Casimirianos vicerint, meis verbis dixerò. Sed cum, quicquid illud est, perscriptum diligenter sit, & in Hungaricis BONFINII, & in Polonicis CROMERI vestri Historiis, quid est, ZAMOSCI, quod ignoremus, Majorum vestrorum erga nostros illos admirabilem propensionem. Quid mortuo CAROLO-ROBERTO ante CASIMIRUM? Ne quis putet jure quodam quasi caeduario evanuisse LUDOVICI substitutionem: ecce, reversum ex Italiâ victorem rursus à Polonis expetiturum esse dico, non

modò successorem designari, sed & collegam dari optantis. Quid dicam, cum viginti deinde annis superstes CASIMIRUS vixerit, nihil tamen interea vel imminutum vel immutatum esse de ejus, & Poloniae totius studio erga LUDOVICUM? Quid mortuo tandem CASIMIRO? LUDOVICUS, ut minimè erat ambitiosus, dicitur liberam Polonis reliquisse electionem novi Regis: sed quamvis competitores rursus magni & gratiosi, & ambitiosi intercederent, nullus tamen LUDOVICO nostro praelatus fuit, absenti licet, & fugienti potius, quàm ambienti: sed neque obstitit, quæ illi objiciebatur, ignorantia linguæ Polonicae. Quid multis? Cùm cogito, quàm ipsi etiam Oratores, & Legati Poloniae laborarint, ut resistentem impellerent ad adeundum Regnum, tot jam annis, toties, tam constanter oblatum, atque delatum, venit in mentem, quod de THEODOSIO canit CLAUDIANUS (*)

*Digna legi virtus: ultro se purpura supplex
Obtulit, & solus meruit regnare rogatus.*

Non temere est, ZAMOSCI! quod tam multa de Polonorum vestrorum erga LUDOVICUM illum studio repetimus. Nam & hodie interest imprimis id meminisse: & qualem comparisonem indicare velim, non ignoras. Volo etiam addere, quod non modò ex historiâ, sed & multò magis ex veteri inscriptione sepulchri in Gallico monasterio Diviodumensi, cujus

(*) De IV. Consul. Honor. v. 47.

cujus ante memini, observavi de quodam ULADISLAO regii sanguinis Polono, quem CASIMIRI propius sobrino (ut juris nostri verbo utar) fuisse probare possem. Hic verò quamvis auctoritate quoque Pontificiâ, & dispensatione, quam vocant (nam etsi CROMERUS illam defuisse significet, adfuisse tamen probat illa inscriptio) subnixus, & potenti factione armatus esset, & obtenderet exemplum illius CASIMIRI, qui ex Monacho quoque factus olim erat Rex Poloniæ, tamen non potuit adversus LUDOVICUM impetrare, quod tam impotenter affectabat: sed qui fuit erga LUDOVICUM perpetuus favor Polonorum, rejecit talem rivalem. Quod & te observaturum esse non dubito, si quando Diviodunum, nobilem Franciæ Burgundiæ urbem, non multum distitam ab itinere vestro fortè invisas, & inscriptionem, quam indicavi, legas, quæ incisa in marmoreum Sepulchrum etiamnum illic in Epitaphio legitur.

Dixi, quo studio Polonia LUDOVICUM nostrum elegerit. Sed addo, neque hunc fefelisse spem, & expectationem eligentium, neque Poloniam unquam pœnituisse suæ electionis. Imò verò hæc illius memoriæ sacrosanctæ tantum detulit, ut (quod nunquam antea Poloni fecerant, neque unquam postea fecere, qui mulieribus Regnum nunquam detulerunt) HEDUIGIN LUDOVICI filiam, Reginam elegerit, priusquam etiam nupta illa fuisset. Quid? Qualis Rex fuerit LUDOVICUS, & quale suide-

siderium mortuus reliquerit, æstimetur ex luctu totius Regni. Non mea sunt, sed Hungaricæ Historiæ verba, annos tres universam Hungariam (quod & de Poloniâ dixero) mortuo LUDOVICO pullam vestem induisse, totidémque annis luctum regionatim celebrasse: nusquam risum, jocum, sonum, nusquam ullum interea festivitatis genus fuisse. Justitium triennio esse indictum: & interea pueros omnes, tanquam patre orbatos incessisse gemebundos. Non audeo reliqua addere: quia & quæ jam recitavi, tam magna sunt, ut incredibilia propè videantur. Quid multis? Prope dixero, mortuo LUDOVICO parentes omnes filiis suis indixisse, quod olim Romæ unus METELLUS, *Macedonicus*, cum SCIPIO *Africanus* publico funere efferretur, filiis suis, quos quatuor habuit clarissimos, imperavit, *Ite filii, & funebri Scipionis lecto humeros subjicite: nunquam enim funus majore civis videbitis.*

Quorsum hæc? ut cum audiamus, vos in HENRICO nostro alterum nunc LUDOVICUM requirere, audiant alii, quid tale exemplum sibi velit, quid spondeat. Dicent alii alias causas ejus electionis, cujus renunciatio quædam est vestra Legatio: ego, qui audio in Comitibus vestris laudatum, & propositum fuisse LUDOVICUM illum, cum de HENRICO nostro eligendo ageretur, dico hujus sive lectionis, sive electionis causam magnam fuisse, spem quandam, & desiderium recuperandi in HENRICO, quod in LUDOVICO Rege Polonia amisit ante annos ducentos.

Tu ZAMO
 res de lege
 tam eleg
 etiam ob
 quam in
 nos neglexit
 cutione dic
 is vestris at
 Lib. 7. Æ

Nos vix ter

interea dum

m est, oper

cupiat detri

vna concipi

spectatio non

vnam superer

in LAMPRIDIU

dicere, Impe

datum fuer

ut Imperio

audebo n

roma. Si ve

em, quæ velu

sed quam, l

velim, m

hujus oratio

optrema m

gant affectus

nomen fonte

preciret alic

ppius, quã

TU ZAMOSCI! qui & veteres Leges Romanas de legendo Senatu, ejusque conditionibus tam eleganter descripsisti, non nescis plura etiam observari in legendo Rege Polonico, quàm in Senatore Romano. Sed ut nihil vos neglexisse credo, sic nihil volo de vestrà cautione dicere, aut, quæ ignoro, de Comitibus vestris affirmare. Nam & quod ait Poëta *Lib. 7. Æneid. vs. 646.*

Ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura.

Sed interea dum vos, dum alii, quibus mandatum est, operam ut dent, ne quid Republica capiat detrimenti, faciunt officium suum, ego vota concipiam, ut non modò spes vestra, & expectatio non fallatur, fallatve, sed ut cumulatè etiam superetur. Et quia memini, quod scribit LAMPRIDIUS, CONSTANTINUM solitum esse dicere, *Imperium fato dari*: eum verò, cui id datum fuerit, præstare debere, & efficere, ut Imperio dignus fuisse videatur, acclamare audebo novo Regi, *Spartam nactus es: hanc orna.* Si veniendum sit ad eam conclusionem, quæ veluti illi valedicat ad vos abituro: sed quam, si nunc quodammodo refugiam, velim, mihi ignoscas. Nam si qua pars hujus orationis mihi difficilis fuit, hæc verò postrema multò est difficillima, in quâ confligunt affectus propè contrarii, & ex eodem tamen fonte manantes. Vellem quidem certè, præiret aliqua vetus formula, quâ uterer potius, quàm ullam novam concipiam.

Illud

Illud modò dicam, meminisse me, quis fuerit Franciæ sensus, quis sermo ante annos CCCLX. cùm suum LUDOVICUM, filium unicum Regis sui PHILIPPI AUGUSTI vix dimitteret, vivo patre trajicientem in Angliam ad capeffendum Regnum, quod Angli Francis deferebant, rejecto etiam suo Rege JOANNE: nec obliti sumus, quid ante annos CXC. rursus dictum, & cogitatum sit, cùm valedicendum esset alteri LUDOVICO, etiamnum orbi Regis CAROLI VI. fratri unico in Hungariam abituro ad adeundum Regnum dotale: vel si ad nostros Andes redeundum sit, non ignoramus, quid ante annos prope CCCX. cum CAROLUS I. Andium Comes, frater Regis S. LUDOVICI, Massiliâ, cum magnâ classe solveret, ad Regni Siculi, quod Nothus quidam occupaverat, denique quid ante annos ducentos, cùm LUDOVICUS primus Dux Andium, Regis Franciæ filius, frater, & patruus, ex Franciâ cum exercitu magno discederet ad evincendum Regnum Neapolitanum, quod illi delatum erat. Videmus quidem certè, quid nunc dissimile sit: sed ut res est solliciti plena timoris amor, ignoscendum est bonis affectibus, sive gaudio propter honorem, & dignitatem Principis; sive dolori propter absentiam; sive lachrimis ex utraque causâ manantibus perfusi sint: Devotissimi quidem certè amoris fuisse Suetonius (*) scribit, quod populus Romanus non solùm faustis omnibus, sed etiam modulatis carmi-

(*) In August. Cap. 57.

carminibus persecutus sit AUGUSTUM in provinciam abeuntem: vos verò prædicare melius potestis, ecquo, cùm noster ad vos, à vobis hinc avulsus accedet, & complexu, & applausu, & gaudio Polonia tota excipiet advenientem. An verò, etsi patrem Patriæ vobis sponsoribus venire agnosceret, non complecteretur etiam tanquam filium? (nam & patria parens est, vel si sit ex arrogatione) An non simul exclamabit, quod est apud optimum Poëtam, cujus verbis lubenter utor, *lib. 6. Æneid. vs. 687. seq.*

Venisti tandem, tuâque expectata parenti

Vicit iter durum pietas, datur ova tueri,

Nate, tua:

Quam metui, ne quid Lybiæ tibi regna nocerent.

Denique cùm vobis gratias ager, nonne agnosceret, & profitebitur, quod hic omnes agnoscimus, & profitemur, vestræ Legationi magnam quandam inesse vim, energiâque, ut ita loquar, ἐλκυστικὴν (*) (potius quam dicam illecebram) quæ hinc elicit, & extrahit, quod videmus: quæque possit ab hoc Regno, tanquam corpore, & visceribus ipsis, matrîsque sinu revellere, quod revellit, & hinc evulsum transferre in ipsam usque Sarmatiam: tametsi futurum alterius Regni, tanquam corporis caput? Quid hîc dicam? Nihil vel peregrinum, vel longè petatum dicere volo. Me-

mini,

(*) Attractivam.

mini, quod & vestri sciunt, vix ullas unquam fuisse vehementiores Legationes, quàm ante annos CXX. fuerint Oratorum Austriae, Boemiae, Hungariae, certatim repetentium, & maximam contentione reposcentium Principem suum LADISLAUM postumum, quem post mortem ULADISLAI Poloni, Hungariae Rectoris, & Regis, totos jam annos XII. Imperator FRIDERICUS patruus retinebat, & veluti invidebat populo reposcenti. Sed quid impetrarunt? Non dicam, elusit, sed earum gentium profecto ardorem restinxit, & desideria repressit, atque remolliit adversaria sive Legatio, sive oratio AENAE SYLVII, quamvis Itali, quem Imperator FRIDERICUS misit ad Comitia, quae in Boemia Bunitaniae habebantur, ut LADISLAUM suum extorquerent. SYLVIVS enim quamvis non nisi PROCOPIO suo collegam interprete auditus sit, cum verba daret, effecit in comitiis illis, & impetravit, ut bonam earum gentium gratiam, Imperator FRIDERICUS etiamnum retinere posset aliquo tempore LADISLAUM illum, atque in Italiam abducere.

Quanto igitur esse dicetur vestrae Legationis major vis, auctoritas, gratia, eloquentia, denique *πειθο* (*) admirabilior, quae impetrabit, & evincet, ut nihil vel remorari possit, quod hinc abducere vultis? Nunquam, scio, tam id citò fiet, quàm desiderium vestrum petit: & omnem moram vobis molestam esse scio.

(*) Virtus persuadendi.

Nam &
 e dicitur.
 vel prius,
 od olim de
 & ex tuo
 rat, Senatu
 Lege Pup
 orario toto
 ge autem G
 ad Kalend
 e dari. Sec
 An quoc
 strillimum
 & scitè,
 loquio de v
 gationis com
 ro Ponti Eu
 um avelere,
 egnam non a
 rum Ponti il
 nit, ut Polo
 no quedam
 roatam illu
 tri fines, STR
 u puramus fi
 rum mihi cor
 in enim alte
 ant) vestra l
 zone electio
 recentis (C
 od adfert,
 que nunc

scio. Nam & omnis festinatio, amanti mora esse dicitur. Sed Regium tamen Senatum nihil vel prius; vel magis agere vides, ut jam, quod olim de Senatu Romano eruditè disputasti, & ex tuo CICERONE repetiisti, nobis occurrat, Senatum haberi ante Kalendas Februarias Lege Pupiâ non potuisse: neque Mense Februario toto, nisi perfectis Legationibus. Lege autem Gabinia sanctum esse, etiam usque ad Kalendas Martias Legatis Senatum quotidie dari. Sed de vestrà contentione quid dicam? An quod hisce diebus audiebam vestrum illustrissimum ALBERTUM LASCIMUM, lepidè profectò, & scitè, & suaviter dicere in familiari colloquio de veteris Argonautarum Heroum Legationis comparatione? Sed illi à Colchide altero Ponti Euxini extremo littore vellus aureum auellere, atque avehere voluêre. Vos Regnum non aufertis, sed offertis, quod & ad alterum Ponti illius littus pertingat, & tam beatum sit, ut Polonia toto futura esse dicatur Regi novo quædam Olbia: sicuti ad ostia Boristhenis in Pontum illum influentis, ad extremos Regni vestri fines, STRABO olim Olbiam vocavit, quam nos putamus fuisse Miletopolim. Quid de re parum mihi compertâ loquar? Vestra ZAMOSCI (non enim alterius cujusquam oratio rectiùs id fecerit) vestra Legatio, Oratióque, cum renunciatione electionis, ejusque, ut vocatur, decreto, trecentis (ut audio) sigillis confirmato, quod adfert, melius exponet, quale, quantumque nunc Regnum offerat, deferatque:

iniquis

minus ut jam miremur, eam impetrare, quod impetrat. Ego ineptus fuero, si quid addere velim: sed tamen cum de ejus Regni dignitate agitur (ut nihil nunc magis est in ore hominum) & aliquid ex Historiâ objicitur, quod eam imminuere videatur, muti esse non debent homines ejus studiosi, tametsi non nisi *ισοπινῶς* (*) de rebus vestris loquamur. Ecce, ut & me unum ex iis esse scias, qui earum gloriæ injuriam fieri vix patiantur, narrabo, ecquid nuper responderim (vos, an rectè responderim, judicabitis) cum quidam objicerent, quod HELMOLDIUS LUBECENSIS (hujus enim *Historia Slavica*, quæ antea tenebricosa, & obscura erat, nunc passim legitur) scripsit de Poloniâ, Slavorum (ut ait) provinciâ. *Quondam, inquit, habuit Regem, nunc à Ducibus gubernatur. Servit & ipsa, sicut Boëmia, sub tributo, Imperatoriæ Majestati.* Ne hoc testimonium minueret majestatem Reipublicæ vestræ, respondi iis verbis describi Poloniam, ejusque conditionem, qualis erat illius scriptoris tempore, circa Annum MCLX cum jam octoginta antè annis Polonia Regiam dignitatem amiserat, suo jure spoliata judicio Pontificis Romani, odio tyranni BOLES LAI secundi, quem Ferum vocant. Sed addebam, circa annum MCCXCV. Regiam suam dignitatem recuperasse, eamque etiam majorem, & majori potestate, libertatèque cumulatam, ne

Imperio

(*) Historicè.

perio German
quam pende
opimâ cond
citur. Prit
tionem cum
& accessio
MSTI millefir
mps eorum
capisse c
OTHONIS
vum sic fuis
larèque pa
temporis.
edimoniū S
sua adversū
Boleslaus
lanis lacestru
promocit.
Germanis affe
Deinde
coactus, A
neque Pam
Carpati montis
egariis objeci
ant ab eo
anni (ut exist
area verò reg
quàm immir
prope dupli
quidem ne
maius esse
nostro. O

Imperio Germanico ampliùs aut subesset, aut quicquam penderet: denique optimo jure esset, optimâ conditione, quâ Regnum Franciæ esse dicitur. Primam verò Regni Polonici constitutionem cum Religionis Christianæ institutione, & accessione conjunctam, circa annum CHRISTI millesimum (quo tempore etiam cœpit stirps eorum Regum, qui in Franciâ imperant) cœpisse quidem ex auctoritate Imperatoris OTHONIS tertii: sed jam tum regnum hoc novum sic fuisse propagatum, ut non minus longè, latèque patuerit, quàm Franciæ regnum ejus temporis. Non enim repudiare possum testimonium SLAVISLAI ORICHONII vestri, qui in suâ adversùs Mantuanum illum declamatione, *Boleslaus, inquit, primus Rex noster à Roxolanis laceffitus bello, regnum suum ad Bovisthenem promovit. Idem postea multis detrimentis à Germanis affectus, Albi flumine Poloniam terminavit. Deinde Prussiæ, atque Livoniæ latrociniis coactus, Athlantico mari regnum suum definivit, neque Pannonia pacata prius illi fuit, quàm Curpati montis illas insanas moles irruentibus Hungariis objecisset.*

Interfuit ab eo tempore usque ad hanc ætatem anni (ut existimo) plusquam quingenti. Interea verò regnum hoc vestrum auctum potius, quàm imminutum esse, & magnâ accessione prope duplicatum fuisse videri, ne Adversarii quidem negaverint: multò quidem certè nunc majus esse, quàm cum deferretur LUDOVICO nostro.

stri aliâ antiquitate, & gloriâ alii prædicant. Non enim hujus vel loci, vel temporis ea sunt. Sed ab aliis tamen vestrarum antiquitatum studiosis talia prædicari facillè patior: neque modò de vestris Slavis, sed & de Sarmatis: imò & de Scythis, & Gethis, multa jactari honoris causâ. Et quis non lubenter audiat laudari; vel ANACHARSIN, SOLONIS familiarem, Regisque Scythici fratrem? vel ZAMOLXIN PYTHAGORÆ contubernalem, Regisque Getici Assessorem? Quis tam fastidiosus sit, qui contemnat, quod STRABO scribit, ZAMOLXIN olim fuisse, qualis apud BÆREBYSTAM Regem erat DECENEUS: sempèrque apud Getarum Reges aliquem fuisse Consiliarium, qualis apud BÆREBYSTAM erat DECENEUS tempore STRABONIS: & qualem te, ZAMOSCI! apud HENRICUM Regem fore credimus. Sint sanè illæ veluti imagines sapientum virorum, quos in vestrâ Legatione videmus, ad Regni gubernationem comparatorum: sint exempla abs primâ antiquitate Majorum vestrorum repetita, quæ Regibus nunc quoque vestris commendentur. Sed non est hujus loci talia persequi pluribus verbis: multòque minus alia Scythicarum antiquitatum præclara monumenta: tametsi symbolica magis fortasse sint, quàm fabulosa, & nunc quoque Regibus opportunè inculcarentur: qualia sunt, quæ narrant de primi Scytharum Regis tribus filiis *Lippoxai*, *Harpoxai*, & *Colpoxai*: quorum minimus natus, quia magis esset moderatus, prælatus sit duobus suis fratri-

ibus, que
et nimium te
hibitis nega
urea hæc in
pum, Securi
rum symbol
iginibus at
noio Belgæ
edam ejus g
is pertinent
que nunc à
is, quàm q
is, qui in fi
nditur, con
ribus Elef
genus fluvio
in sinum A
bit: & veter
um minus pe
faciat hoc li
vestram an
te, si ut lau
o venit cum
us etiamnur
Poeticâ oble
Verùm et
vestri, quo
mus, antiq
o, & inoffic
re laudis cau
num, & l
ne ipsa qu

fratribus, quorum prior nimium præceps, alter nimium tardus erat: & quod his flamma prohibitis negatum est, potuerit manu tangere aurea hæc insignia, cælo demissa, Aratrum, Jugum, Securim, Phyalam. Audio hæc regnorum symbola arcana, & mysteria vestris aboriginibus ascripta prolixè exponi à nostro GOROPIO Belgà: eúmque supra alios, rara quædam ejus generis, quæ ad vestras antiquitates pertinent, scitè, & eruditè collegisse: sed quæ nunc à me inculcari nihil attinet, non magis, quàm quæ cohonestandi vestri Vistulæ causâ, qui in sinum Venedicum maris Baltici effunditur, contendit eum esse Eridanum, à Veteribus Electri nomine laudatum, quem VIRGILIUS fluviorum Regem dixerit, non eum, qui in sinum Adriaticum Venetæ Reipublicæ influit: & veteres Scriptores rerum Sarmaticarum minùs peritos eâ in re erroris coarguit. Sed faciat hoc licet bono, & liberali erga gentem vestram animo, tamen nimis otiosus videbor, si ut laudem, unde vestra Curulis Legatio venit cum suo munere, eò excurram, & vos etiamnum de viâ longâ fessos, tali veluti Poëticâ oblectatione fatigem.

Verùm etsi nolim otiosè immorari in regni vestri, quod Legationis vestræ munus esse dicimus, antiquis laudibus: tamen ingratus fuero, & inofficiosus, si non addidero, maximæ laudis causâ, regnum à vobis deferri & literatum, & literatis hominibus refertum: quod ne ipsa quidem barbaries nunc barbarum

dicere aufit. Laudent in eo alii Equitum nobilitatem, multitudinem, fortitudinem, quâ armatarum esse dicitur. Meum est, anteferre studia doctrinæ, & doctorum virorum, quibus abundat, ingenia, meritâque. Quid enim? Ipsa Italia voce, & confessione sui, tuique CAROLI SIGONII testata est, se se Poloniæ in eo curriculo laudis cedere. Meministi enim ZAMOSCI! quid ille in Epistolâ ad vestrum MARIANUM LEZENTIUM publicè consignavit, prolixè confessus, humanitatis, & literarum studia, quæ propria quondam Italiæ fuerunt, finibus Italicis emissa ad Polonos se, quasi in colonias, contulisse: & cum alia cum multis communicare, ingeniorum verò, & literarum laudem sibi solos Polonos vindicare. sed Italia de se viderit. Galliam modò, cujus studia jam aliquot annis remissa languent, & sepulta prope opprimuntur, dicam, novo hoc vestro exemplo rursus excitari ad pristinam laudem, & decus, & contentionem liberalis doctrinæ. Quid dicam, cùm vestra Legatio viros ostendat militari virtute præstantes, totòque etiam vultu Martem spirantes, eam tamen magis literatam esse, quàm Martialem, magisque rei literariæ, quàm militaris vel curam gerere, vel causam agere? Etsi fortè fremant, & ringantur, si qui vos barbari circumstant spectatores ejus actionis, tamen scitote vel ipsos parietes Curia, in quâ id agendo, curandòque stabitis, aut sedebitis, vobis applaudere, lætitiâ subsultantes, ut tandem excludant no-

vam

ORAT.

barbariem
Romæ fu
quæ L
se se com
reps vestra
olet Polono
as actiones.
vero: nequ
ut rursus
APOLL
scripsit: S
as fuscitasse
zatis indicu
sed an hoc
vitate JOAN
m: sperare
apud te lite
ammum, e
nem fuscipia
etiam quer
ionis, quâ il
ollo, cum
itas tabulas
indignâ, inj
migrantur, p
lebitisque pr
tribrium ig
nihilò minus
& antea in
viam, veter
acclamati
Lib. VIII. Epi

vam barbariem, quæ iis insultat: neque ulla olim Romæ fuit, ut appellabatur, Græcostasis, quæ Legatorum statio fuit: quæ ausit se se comparare cum eâ, quam Gallia deinceps vestræ Legationis memor retinebit, & colet Polono-stasi? Laudent ergo alii alias vestras actiones. Ego, quam dico, imprimis laudavero: neque magis quicquam optavero, quàm ut rursus efficiat, quod de suo JOANNE SIDONIUS APOLLINARIS (*) noster ante annos M.C. scripsit: Scripsit eum literas in Galliâ sepultas suscitasse, ut solum esset deinceps Nobilitatis indicium, literas nosse.

Sed an hoc rursus fieri posse speras hac tempestate JOANNES ZAMOSCI? Ego optare possum: sperare non possum. Et quorsum nunc apud te literarum patronum, & vindicem summum, earum causam agam? Defensionem suscipiam? Laudes commemorem? Quid etiam querimoniam exaggerem malæ tractationis, quâ illæ in multis regnis, in quorum folio, cum eruditis Legibus, quarum perpolitæ tabulas circumferunt, sedere deberent, indignâ, injustâque barbarie opprimuntur, affliguntur, proculcantur: suis honoribus, debitisque præmiis spoliantur, & prope ad ludibrium ignominiosè prostituuntur? Quid nihilo minus repetam, quam illæ suggerunt, & antea indicavi, sed satis inculcare non possum, veterem in Imperatoris TACITI electione acclamationem, *Quis melius, quàm*

O o 3

litera-

(*) Lib. VIII. Epist. 2.

literatus imperat? Quid PLATONIS vulgatam jam satis, sed nondum intellectam satis sententiam, Beatas fore Respublicas, cum aut Philosophi regnabunt, aut Reges philosophabuntur? Quid (ne discedam ab Andegavensium Francorum historiâ) in uno ROBERTO ab iis prognato, Rege Neapolitano, quem doctissimus FRANCISCUS PETRARCHA Regem Regum testatur dictum esse propter studia literarum, quas etiam Diademati suo se anteferre profitebatur, ostendam, quid nostri Reges præstare debeant? Quid RENATUM nostrum ejusdem gentis Regem, ostendam inscitiâ historiæ amisisse Regnum, & Neapolim, quam ejus adversarius ALPHONSUS Rex literatus præsidio, & memoriâ literarum evicit: ne miremur eum suis militaribus signis librum appinxisse: quamvis non omnes fortè intelligant, ecquem potissimum librum indicaret.

Ut ad vos revertar ZAMOSCI! dico vestram Legationem literis jacentibus, & prope deploratis animum reddidisse, & veluti signum bonæ spei altè in Galliâ sustulisse, cum de studiis literarum magis, atque magis excitandis etiam cum eo Rege, quem petit, agit, à quo & restitutionem, & amplificationem Academiæ Cracoviensis stipulatur, & hanc statuit non postremam esse Regni gloriam, decus, & præsidium. Audivimus non modò ex hac Lutetiâ Parisiorum ante Annos CLXX. doctores literarum ad illam Academiam vestram instituendam repetitos esse, sed & quid ad eam Scholam erigendam

ORA

am contu
 re HEDVIG
 oltri: quo
 (ti) viris e
 re debent,
 al si Legati
 ella est huj
 bus præclar
 regno, atque
 pus, & cur
 bus id agit
 vindices,
 im ipse (qu
 co) HURAI
 quæritur,
 ma, & au
 ondavit cur
 andegavens
 in personare
 HENRICUS
 rius doct
 que homi
 et qui ad ve
 roducendos
 tus Foxru
 nominis li
 am apud ali
 us auxit.
 in Senatu
 thertus, qu
 vos abituru
 ac ipsam lite

dam contulerit cura, & liberalitas ipsius quoque HEDUIGIS Reginae vestrae, filiae LUDOVICI nostri: quo magis & haec (tanti Dux feminae facti) viris exprobratura merito sit, quod audire debent, si tali exemplo non excitentur. Sed si Legatio vestra, quod suscepit, urgeat, nulla est hujus temporis barbaries tanta, quae rebus praecclaris obstare possit: & in hoc quoque Regno, atque adeo in ea ipsa Curiâ, in qua hoc agitis, & curatis, & inter eos proceres, cum quibus id agitis, occurrent literarum Patroni, & vindices, qui vobiscum conspirent, Ecce enim ipse (quem iterum honoris causâ nominabo) HURALDUS CHEVERNIUS, Regis, quo de quaeritur, Cancellarius, qui & ex ejus sententiâ, & auctoritate superioribus annis mihi mandavit curam & restitutionem Academiae Andegavensis, in qua melioris jurisprudentiae vox personaret, vobis adest: adest, & occurrat HENRICUS MEMMIUS, Regis Navarri Cancellarius doctissimus, & doctorum studiosorumque hominum Meccenas magnus: occurrat & qui ad vos in hanc urbem honoris causâ introducendos cum Principibus praemissus est, PAULUS FOXIUS, non minus & ipse literatus, qua nominis literarum cultor, quarum dignitatem apud alias quoque gentes suis Legationibus auxit. Adest & FABER PIBRACIUS, Regius in Senatu Advocatus, Jurisconsultus tersus, & disertus, qui vos comitabitur, & Regem ad vos abiturum sequetur: denique adest, qui hanc ipsam literarum causam in vestris Comi-

tiis egit, & cum Regni, quo de agitur, causâ primus conjunxit, & quod magno animo cœpit, maximo vobiscum persequitur, **MONLUCIUS VALENTINUS.** Et dubitamus adhuc, quid literæ sperare debeant? Quid Legatio vestra in hoc genere efficiet? quid vestra Academia Cracoviensis impetrabit, ut etiam superet veterem (nam de miseris hujus temporis scholis nihil nunc dico) Massiliam, Athenas, Berytum? Crede mihi minimè vano, **ZAMOSCI!** statim, atque supra hospitii in hac urbe tui fores cum tuis insignibus trium hastarum, nomen tuum subscriptum legerunt homines dediti studiis doctrinæ: cum interpretati sunt illas esse hastas Palladis potiùs, quàm Martis, tum verò, nescio, quâ repente spe bonâ recreati respirarunt. Nihil morati sunt illud inscriptioni nominis tui additum, *Capitaneo Belsensi generali &c.* sed statim, atque legerunt istud, *Joanni Sario Zamoscio:* quid sperare, quid expectare ab hac Legatione deberent, senserunt.

Dixi, qualis hæc Legatio sit, quæ defert Regnum magnum, Antiquum, literatum. Et si verò alias ejus Regni dotes non addam, tamen nec debeo, nec possum prætermittere, quod prius dicere debui, Regnum pacatum deferri, quod vel togatus Princeps adire queat: neque domi modò pacatum, sed etiam foris. Nam & ipse Moschus, perpetuus alioqui, & acer hostis, ex quo tempore audivit hinc Regem à vobis peti, agere de induciis, vel fœdere dicitur.

Fue-

Fuerunt q
blata Regna
veri, fuisse c
que cum n
is evincenda
nli, atque e
quid enim alit
e Sicilia, siv
e Pannoniæ
oblatum est
retur.

Habet itaqu
no juris nost
ncertè ut rar
tra Legatio
um pacata po
ullo bello:
& sudore, &
amur, nos
arios, qui
untur: ex
dam Regni
at, & magn
um eum esse
Sed nihil
in vestro co
nos & de q
tes, & civ
ationes: neq
ligione diff
que totar
unt, sed &

Fuerunt quidem, ut ante dixi, semper olim oblata Regna Andium Principibus: sed cogor fateri, fuisse controversa, litigiosa, turbulenta, & quæ cum magno exercitu adeunda, & armis evincenda essent, & ab hostibus, qui ejicendi, atque expellendi erant, jam occupata. Quid enim aliud dicam, sive Regnum Angliæ, sive Siciliae, sive Neapoleos, sive Tarraconis, sive Pannoniæ considerem, quale erat, cum iis oblatum est, & quâ conditione nostris deferretur.

Habet itaque hoc veluti singulare, & (ut verbo juris nostri utar) præcipuum (quod quidem certè ut rarum est, sic est maximum) quod vestra Legatio defert, ut parata uon minùs, quàm pacata possessio sit, sinè lite, sinè armis, sine ullo bello: denique (ut est in proverbio) sinè sudore, & sanguine. Neque verò dissimulamus, nos etiam legisse vestrorum Commentarios, qui de Reipublicâ emendandâ inscribuntur: ex iisque jam pridem intellexisse, quædam Regni vestri esse ulcera, quæ curanda sint, & magnam difficultatum molem subituum eum esse, qui hanc curationem suscipiet. Sed nihil tamen est, quod Regium animum vestro consilio confirmatum deterreat. Scimus & de quibusdam legibus illic inter Equites, & cives (ut vocantur) magnas esse quæstiones: neque ignoramus majores esse de Religione disentiones, neque modò nuper natas, quæ totam Europam pervagantur, & concutiunt, sed & alias multò antiquiores, qua-

les & inter Græcos, & Latinos multis jam seculis fuerunt. Sed tantò magis admiramur genium (ut ita dicam) vestri Regni, in quo tale (ut vulgò vocatur) schisma nullas dat turbas, neque Reipublicæ corpus, & concordiam distrahit. Equidem cum aliquando legerem, *Ruthenos*, ut nunc dicuntur, qui olim *Roxolani* dicebantur, accepisse doctores Religionis à Constantinopolitano Patriarchâ: & in *Rufficis Chronicis* annotatum esse, id esse factum Anno 6497. (ut illi quidem numerant) incidere autem hoc tempus in Annum Christi *DCCCCLXXX.* paucis post annis, quàm à Romano Pontifice *Poloni* in Religione primùm instituti fuere: & meminissem, quale jam tum schisma, quale dissidium exarsisset inter Romanam, & Constantinopolitanam Ecclesiam: dubitabam, num populi ita dissidentes coalescere possent sub uno Rege. Sed cum deinde legi, *Russiam* tandem à *CASIMIRO Magno*, *Poloniæ* Rege (cui etiam tunc aderant nostri illi *CAROLO ROBERTUS*, & ejus filius *LUDOVICUS* paulò ante designati hæredes *Poloniæ*) in provinciæ formam redactam esse, eâ lege, ut illa in Religionis causâ nihil mutaret: eamque cum illâ suâ *αὐτονομία* (*) pacatam, cum reliquâ *Poloniâ* bene coaluisse: intellexi in Regno vestro facilè fieri, quod alibi vix putaretur fieri posse. Difficilior quidem est dissensio altera, quæ superioribus

annis

(*) Libertate vivendi propriis legibus.

annis exarsit : & aliorum Regnorum exempla faciunt, ut magis intelligamus, equo illa erumpere soleat. Sed feliciorum esse Regni vestri conditionem in hoc genere audimus: ut & in ipso (loquor, ut cœpi) colligio vestræ Legationis agnoscimus admirabile exemplum concordiae, & conjunctionis civilis, quam non divellat dissensio aliqua de Religione: & in illâ ipsâ electione, cujus internuncii estis, in vestris Comitibus, talem conspirationem aliæ gentes admirantur. Ergo Regnum in eo statu, in quo alioqui putarentur turbulentæ tempestates existere, tamen pacatum, & sedatum, & domi, forisque quietum cum illa suâ libertate, quæ intra suos se fines continet, suorumque interea omnium ordinum concordia summa, defert Legatio hæc vestra: & ut est conflata, atque temperata ex omnium ordinum viris sapientissimis, tanquam concentus quidam collectus ex distinctis sonis, & dissimilium alioqui vocum moderatione (agnoscis ZAMOSCI! de Republicâ temperandâ sic locutum esse SCIPIONEM in libris tui CICERONIS) dat egregium exemplum boni consilii ad bene, beatèque regnandum, & ad eam Reipublicæ moderationem retinendam, in cuius conservatione salus quoque Regni posita est. Sed prope prævaricari viderer, si jam prætermittam, quod pertinet ad commendandum Legationis vestræ munus, hoc est, Regnum, & Diadema, quod illa offert, ut Orientales,
 sic

DUINI
 os multis jam
 is admiranda
 Regni, in qua
 nullas dat
 & concordiam
 quando legem
 r, qui olim
 doctores Religio
 rancia: & in
 elle, id esse factum
 numerat) eode
 in Annum Christi
 post annos, quatuor
 in Regem pro
 meminerit que
 dissidium caris
 vntanopolitani
 im populi in
 ab uno Rege. Sed
 tandem Casano
 ui etiam tunc de
 Coratus, & eius
 e deligant heredes
 nam redactam esse,
 s causa nihil mu
 avraria (*) pa
 vâ bene coadulle:
 facile fieri, quod
 e. Dicitur qui
 que superioribus
 annis
 is legibus.

sic & septentrionales populos vestros non
 modo esse, semperque fuisse φιλοβασιλεῖς, (*)
 eaque in re cum Francis convenire: sed &
 Reges suos tam venerari, & prope adorare,
 quam à Regibus abhorruerunt olim & Græ-
 ci, & Romani. Quod cum audio, venit in
 mentem, quod PLUTARCHUM (**) ARTABANUS
 ille Satrapa Persicus, THEMISTOCLEM Athe-
 niensem, qui ad Regem Persarum venerat,
 monet. *Leges, (inquit) ô hospes, aliæ sunt
 apud alios. Vos Græci pro omnibus rebus li-
 bertatem laudatis: apud nos autem ea lex præ-
 stantissima est, que venerari Regem tanquam ef-
 figiem Dei jubet.* Sed meminimus tamen Per-
 sas in illâ suâ adoratione tam stupidos non
 fuisse, quin acutè discernerent inter Regem,
 & Tyrannum: ut & HERODOTUS narrat, gra-
 viter illos judicasse, & sapienter dixisse,
 CYRUM quidem fuisse patrem, CAMBYSEM ve-
 rò dominum: DARIUM autem mercatorem sive
 κάπηλον. (***) Sed neque vestris majoribus
 defuisse vel iudicium, vel animum, ubi ab-
 dicandi Tyranni fuere, docent nos Historiæ
 vestræ, & exempla duorum fratrum Regum,
 ULADISLAI II. & MIECISLAI III. neque quod ex
 Archivis Regni vestri secretioribus prolatum
 est, ignoramus, cum CASIMIRUS fratri illi suo
 MIECISLAO pulso surrogaretur, quale Anathe-
 ma,

(*) In regem studiosos.

(**) In Themistocl. Cap. 46.

(***) Cauponem.

ma, subscribente ipso CASIMIRO, voce Antistitis Cracoviensis denuntiatur sit latronibus & tyrannis exitio devovendis, universo populo, & Nobilium cœtu accinente istud, AMEN. Verùm vetus dictum est, eum demum bonos Reges amare, qui malos oderit: & venit in mentem, quod non minuendæ Majestatis causâ TACITUS, (*) cùm laudaret veterum Germanorum mores, scripsit: *Nec Regibus eorum infinita, aut libera potestas.* Et verò ea demum vera Regna sunt, quæ legibus astricta ad earum regulam diriguntur: neque propriè Regna dixeris, quæ recta non sunt, sed effrænata detorquentur in tyrannidem: de quibus quidem meus PACATUS in suo ad THEODOSIUM *Panegyrico*, illi (inquit *Cap. 12.*) *illi avidè Regna desiderant, quos soluta legibus delectat vita: quorum crudelitas, indemnatos necandi; cupiditas privati rapiendi; libido honesta faciendi; jus, atque impunitatem requirunt.* Sed nos opponemus vel illam veterem puerorum cantilenam, quæ Regnum rectè facientibus offert, ut est apud HORATIUM. *Rex eris (ajunt) si rectè facias: neque sanus quisquam admiserit impuram illam illius, & incestæ, & furiosæ meretricis vocem, si libet, licet.* Neque est, quod FRICIUS vestras in suo *de Legibus* libro vel se torqueat, vel nostrum ULPIANUM accuset, quia dixerit, *Principem legibus solutum esse.* Id enim (ut indicat

inscriptio

(*) *German. Cap. 7.*

inscriptio) modò dixit ad *Legem Juliam Papianam* ex quâ & exemplum illius solutionis proponitur in *l. 55. § 57. D. de Legat. 2.* ut quibus ille legibus solutus esse dicatur, rectiùs intelligamus, & observemus, quod in *l. 3. C. de test.* Lex imperii, non nisi *solemnibus Juris Imperatorem absolvere dicitur.*

Hæc habui hoc tempore ZAMOSCI! quæ, quamvis incondita (non enim aliter potui in hac tumultuariâ & jactatione, & discursatione, & festinatione, & veluti motoriâ fabulâ hujus peregrinationis) ad Te, & amplissimos tuos collegas referre, utcunque volui, ex animi mei sententiâ, de legatione hac vestrâ, vestroque, cujus causâ illa suscepta est, Regno: ut cum aures tuas circumsonet publica Galliæ gratulatio, privatum quoque habeas unius hominis, tuî studiosi consensum, non dissimilis officii, privati quidem, sed non minus vel enixi, vel obnoxii studio iascitatum. Priusquam tamen desinam, te dimisso, peto, mihi ut liceat, quod occurrit, breviter addere, de illo, cujus jam antè memini, sed sæpius meminisse debeo, Principe vestræ Legationis; dico de illustrissimo ALBERTO LASCIO. Nam & hæc altera apostrophe non ingrata fuerit nostræ hujus orationis conclusio, quam non artificium aliquod eruditum, sed sinè ullâ arte simplex veritas, & ingenuus affectus exprimit.

Audies

ORAT.

Audies tu
ora, & de t
que audi ex
ni & doctissi
micissimi. Se
s, Principes
gentis defe
tantum tibi
egum majus
de dignitatem
nis ego sum
dicere de
officiis, me
quandam
ne me quid
scito, judic
pluris e
superet offi
tuorum, qu
bere. Dicen
s suos educar
eorum,
dicam, si
Magniq
dem carcer, &
lere potuerit.
ps illius in Ita
comitem fu
carcer talis
incipem lubent
Regem illu
memorem talis

Audies tu quidem LASCI! ab aliis fortasse plura, & de te, & de nobilissimâ tuâ familiâ, quæ audivi ex ore tui FRANCISCI MASSOVII, viri & doctissimi, & humanissimi, & mihi amicissimi. Sed & ipsi in tuo Comitatu Duces, Principesque Ciriassii, qui tibi Regnum suæ gentis deferunt, boni testes esse possunt, quantum tibi debeat Gallia, cujus HENRICO Regnum majus defers, & hujus causam, atque dignitatem rei tuæ anteponis. Equidem non is ego sum, qui possim, quicquid deberem, dicere de nobilissimæ familimæ, gentisque tuæ officiis, meritisque erga Franciam, & veteri quandam inter utramque necessitudine. Sed ne me quidem omnia ejus generis ignorare scito, judicare tamen ex comparatione, multò pluris esse Legationem hanc tuam, quæ superet officia omnia, meritâque Majorum tuorum, qui hujus Regni semper studiosi fuere. Dicent alii de avo tuo, qui tres filios suos educari in Galliâ voluit. Ego primum eorum, patrem tuum HIERONYMUM modo dicam, sic in sinu ipsius Regis FRANCISCI I. Magnique educatum fuisse, ut ne quidem carcer, & captivitas alterum ab altero avellere potuerit. Non enim obliti sumus, Regis illius in Italiâ capti, & in Hispaniam abducti comitem fuisse, & omnium ærumnarum quas carcer talis adferre potest, socium, & participem lubenter fuisse patrem tuum: ut & scimus Regem illum minimè aut ingratum, aut immemorem talis & fidei, & amoris, & officii

cii, non literis modò, sed & re ipsâ sæpe testatum fuisse, quanti & illum, & totam ejus familiam faceret. Nam & admirabatur invictam illius virtutem, quæ & eluxit in altero carcere, in quem non tam culpa Gritti Turco-Veneti, quàm ingrati Vayvodæ injustitiâ incidit vir non minus justus, & innocens, quàm fortis: ingratum Vayvodam dico, qui patri tuo & vitam, & statum, & solium suum debebat. Legi, quas ex hoc carcere Pannonio ad amicos scribebat literas pater tuus, testes, excelsi, infractique, & heroici animi: quas cùm legisset Rex FRANCISCUS, non minùs commotus est tam indigno, acerbòque amici casu, quàm suo: & illo capto, vinctòque, captus etiamnum, vinctùsque sibi esse videbatur: neque conquievit, donec eum gloriosè liberatum esse audivit: ad cujus liberationem non minus auxilii contulit, quàm vel Rex ipsius SIGISMUNDUS, vel amicus, & affinis TARNOVIUS. Factum id fuit Anno MDXXXIII. sed ut magis, atque magis conjunctionem officiorum vicibus sæpe confirmatam, quæ intercessit inter Regem illum nostrum, & patrem tuum, agnoscere etiam nos intelligas, meminimus, quod duobus pòst annis acciderit. Legi enim, LASCI, literas ab eo Rege ad Patrem tuum amantissimè scriptas, quas etiamnum publicè in Galliâ legi velim, scriptas (inquam) Lugduni XXII. die Junii MDXXXVI. quo tempore quàm ab hostibus potentissimis Rex premeretur, vix quenquam ignorare existimo. Quid igitur?

Con-

OR
Confugit a
Transylvan
ices!) aux
statim
testatus
impio eni
briffimo,
latino Sir
ello, & ca
od literis
ppiam fuit
est, aut
doxeis re
nobis exi
quo etia
adum fuisse
rum recept
tunc virtu
aurum i
io autem p
tra exposcit
nostris n
, & fact
tionem po
tibi de no
le his cogita
Quid dica
Legatus
eum pr
exceperit?
, & te p
aret? Quid

Confugit ad amicum, cujus eo tempore in Transylvaniâ regnantis (ô admirabiles rerum vices!) auxilium per literas imploraret: & ipsâ statim earum literarum inscriptione palam testatus est, quantum illi deferret. Inscriptio enim hæc ab omnibus legebatur: *Illustrissimo, & Magnifico Hieronymo de Lasco Palatino Sivadiensi, Vayvoda Transylvaniæ, dilecto, & carissimo consanguineo nostro.* Sed quod literis illis inclusum legebatur, majus quippiam fuit. Neque tamen jam, quicquid illud est, aut rescribam, aut recitabo. Istud modò ex eis repetam, & edam: *Venit in mentem nobis eximius tuus erga nos amor, & favor: quo etiam tum præstabas, quum à nobis nondum fuisses in sacrum ordinem Equitum nostrorum receptus. Age itaque, & ostende, quid tua nunc virtus, quid dexteritas possit. Nam sicuti aurum igni, ita periculo fides percipitur. Ratio autem præsentis temporis, & indigentia nostra exposcit, ut ostendas, quia nobis, & fortunis nostris non solum bene faves, sed etiam operâ, & factis ades. Magnam fidem, & expectationem posuimus in fide, & probitate tuâ, qui tibi de nobis vicissim longè majora, quàm ut de his cogitare nunc possis, polliceri debes.*

Quid dicam, cùm pater tuus magnis de rebus Legatus in Galliam venisset, quam arcto eum propè ut fratrem complexu Rex ille exceperit? Quid verò, quid, si nunc viveret, & te paternis vestigiis insistentem hinc videret? Quid si nepoti Regnum deferentem?

An olim Rex MASINISSA jam senex, cum juniorem SCIPIONEM exciperet, cujus avum Africanum coluerat, majori gaudio commotus fuit, cum lacrymis incredibili lætitiâ expressis perfusus, suspiciens in cœlum (juvat enim, quod & antea recitavi, totidem verbis repetere) exclamavit: *Grates tibi ago summe Sol, quod antequam ex hac vitâ migro, conspicio in meo Regno, & his tectis Cornelium Scipionem, cujus nomine ipso recreor.*

Age, nihil, nisi de Legationibus dicam, & si vis, patris etiam tui fratres, patruos tuos, Legatos magnos missos faciam, ut in eo, & te solo consistam. Patruos tuos dico, non illum modò JOANNEM, quem ex Angliâ redeuntem aliquando in Germaniâ vidi, sed & STANISLAUM, qui à Rege SIGISMUNDO Augusto missus ad Imperatorem CAROLUM V. Anno MDXLVIII in Augustanis Comitibus Imperii causam egit Prussiæ, tantâ cum admiratione & magni illius Cæsaris, & omnium, qui aderant, Germaniæ Principum. Sed si quis unquam Legatus fuit, cujus exemplum, tanquam norma officii Legatis præscribi debeat, non secus, atque olim noster MUCIUS SCÆVOLA, Asiæ Proconsul, ejusque memoria, & veluti effigies omnibus in Provinciam ituris Magistratibus proponebatur: eum ego audio fuisse patrem tuum. Nam etsi quas non modò in Galliam, sed & in Daniam Legationes obiit, nunc prætermittam: annon admirabiles fuere, quas etiam sedecies obiit,
ad

ad ipsum SOLYMANNUM, Reipublicæ Christianæ causâ? Ipse Oriens, quod in iis admiraretur; & SOLIMANNUS ipse talem Legatum tandem reformidans, quem non poterat non revereri, non putavit, nisi illo sublato, se se nostri orbis Christiani, & Europæ nostræ propugnaculum (dico Pannoniam) evertere posse, & tamen talem Legatum apertè violare ausus non est, sed lento veneno clam tentatum barbarus tyrannus dimisit in patriâ & sinu Regis sui SIGISMUNDI placide moriturum post varios casus, post tot discrimina rerum. Non blandimur tibi, LASCI! neque cuiquam assentari didicimus. Sed neque historiam, aut vitam patris tui describimus. Quod si suscepissem, longiorem commentarium instituerem. Verum etsi dixerò, patris illius tui memoriam, gloriâque majorem quoque esse, quàm sit vel ipsius JOANNIS TARNOVII, quem habuit & amicum, & socium, & affinem: & quem inter Poloniæ decora, quæ hodie quoque laudari lubenter audio, meritò celebrari fateor: nihil dixerò, quod nunc & TARNOVIUS ipse agnoverit: & tamen TARNOVIUM illum dico, cui ipsa Italia honoris causâ accinere, JULII JOVII voce non dubitavit.

*Salve ô Sarmaticæ gentis fortissime Ductor!
 Justitiâ, atque armis quis se tibi confervat unquam
 Sarmata magnanime, agnoscet ventura vetustas,
 Nullum posse tibi similem monstraviet orbi.*

Señ

Sed neque si de comparatione Legationum agatur, cesserit pater tuus, tamen si TARNOVIUM vestrum non nesciam totum pene terrarum orbem nobilissimâ peregrinatione peragrassè, neque modò Asiam, Lyriam, Aegyptum, Africam ad ipsum usque Oceanum Atlanticum, ubi & adversus barbaros fortissimè dimicavit pro Rege Lusitano, sed & ad LEONEM Pontificem, & ad Imperatorem CAROLUM V. missum esse, tandèmq; in patriam reversum, Regiis copiis sic præfectum fuisse, ut Poloniae veluti Imperator esset, & diceretur. Quia verò de gloriâ rei militaris nunc non certatur, nolo LASCI! comparare illius cum tuâ victoriam, & triumphum de Moltaviâ: nolo quærere, an ille fortiùs justiusque PETRUM Moldaviae Regulum vicerit, an tu ALEXANDRUM Tyrannum proffigaris. Illud nunc modò volo, neque patris tui HIERONYMI, neque illius TARNOVII Legationes, quantumvis nobiles, & illustres, posse cum hac unâ vestrà comparari.



UINI

one Legationem
tamen in
tum pene in
egritatione pe
Lyriam, Aegy
ne Oceanum
rbaros fortissim
sed & ad Leo
torem CAROLUM
in patriam rever
sectum fuisse, ut
set, & dicerent
litaris tunc au
arare tunc con
m de Mordis
is iustusque
vicerit, an in
offigaris. Nihil
s tui Hieronymi
ones, quantum
volle cum hac
rari.



Bu
S
Köln